MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80342-3

AUTHOR: PLASBERG, OTTO

TITLE: DE M.TULLI CICERONIS ....

PLACE: LIPSIAE

DATE: [1892]

Master Negative #

91-80342-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Plasberg, Otto, 1869-1924.
De M.Tullii Ciceronis Hortensio dialogo; dissertatio inauguralis philologica quam ... publice defendet auctor Otto Plasberg ... Lipsiae, venumdat Gustavus Fock, [1892]
90 p. 23 cm.

Thesis, Berlin, 1892.

No. 3 of volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-12-92   INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE M. TULLII CICERONIS HORTENSIO DIALOGO

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XV. M. MARTII A. CIↃIↃCCCXCII
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OTTO PLASBERG
RHENANUS

ADVERSARII ERUNT
RUDOLPHUS HELM SEMIN. PHILOL. SENIOR
WALTHERUS HENZE PHILOSOPHIAE DOCTOR
OSCARUS FROEHDE PHILOSOPHIAE DOCTOR

LIPSIAE
VENUMDAT GUSTAVUS FOCK

PATRIS CARISSIMI

PIAE MEMORIAE

ET

IOHANNI VAHLENO

ADOLPHO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM VULT

AUCTOR

Hortensii dialogi Tulliani fragmenta quotquot ad nos pervenerunt explicare atque ordinare instituentes opus aggredimur periculosae aleae plenum. multa enim in coniectura posita sunt, quae quam facile fallat singuli dies docent; non pauca fore ut inveniantur a limine desperandum: denique quaedam fragmenta adhuc delitescere veri simile est, atque adeo fieri potest, ut aliquando e bibliothecae alicuius tenebris in lucem protrahatur corpus dialogi totum ad irritumque redigat commenta eorum, quibus non licuerit uti nisi pauculis membris. periculum igitur magnum: sed tamen, ut ait ille in Phaedone, periclitandum; honestum enim periculum praemiumque magnum. quamquam id iudicium mirum fortasse videbitur iis, qui Tullium philosophum cum contemptu atque malignitate assueverunt carpere; quae maledicta refutare nobis non est in animo de reliquis quidem libris: hunc libellum, si integer exstaret, iucundissimum fore lectu eundemque sententiis gravissimum affirmamus.[1] fuit enim ex eo genere, quod προτρεπτικοὶ λόγοι appellabatur apud Graecos[2] et pertinebat ad philosophiam commendandam et adumbrandam. quae res ita institui solebat, ut et quanta esset philosophiae utilitas ostenderetur, et ii, qui eam aut carperent aut accusarent, refellerentur.[3] ita qui disputaret quem aptiorem fuisse putamus quam illum, qui apud iudices assueverat refellere accusatorem, clientem suum lau-

---

[1] Patronum habet ea sententia Iacobum Bernaysium, qui in libro, quem de dialogis Aristoteleis scripsit, pag. 119 hunc libellum vocat *die Krone der Ciceronischen Dialoge.*

[2] vita Salonini Gallieni 2, 1.

[3] Philo Larisaeus ap. Ioh. Stob. anthol. II pag. 39 Wachsm. cf. P. Hartlichius de Exhortationum a Graecis Romanisque scriptarum historia et indole (Stud. Lips. vol. XI p. 207–333).

dare, in senatu suadere hanc sententiam, dissuadere illam? accedit quod illud genus procul aberat a curiosiore investigatione et a severiore disputandi ratione, denique a nimiis argutiis, quae in reliquis Ciceronis libris non ubique satis recte expressae sunt.

Exorsus autem est hanc scriptionem Cicero recenti impulsus studio philosophiam Graecam ad litteras Latinas transferendi. quamquam de conscripti Hortensii tempore expressis quidem verbis nihil traditum est praeter enumerationem illam librorum a Tullio scriptorum, quae exstat in libri de divinatione II prooemio. cuius enumerationis in parte priore, quae complectitur libros proprie ad philosophiam pertinentes, quin temporum ordo servatus sit nos quidem nulli dubitamus, ipsa Ciceronis verba id satis indicare arbitrati. oblocutus est Drumannus, eo usus argumento, ut diceret, quod Cicero ante annum 709 scripturum se aliquando de finibus bonorum et malorum innuisset, inde sequi, prius in illa quaestione eum occupatum fuisse quam in dialectica.[1] nobis liceat rationes nostras breviter exponere. atque illud quidem concedendum est, eis quae leguntur de leg. I 20, 53 (quos libros incohatos quidem esse anno 702 sive 703 constat) *sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam et Zenonem datum* et eis quae prope (§ 52) antecedunt *ad finem bonorum ..., controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando iam iudicandam* — eis igitur locis concedendum est effici, ut Tullius quaestionem illam proprio libro exponere in animo habuerit; animadvertendum etiam, eiusdem libri capitibus 20 et 21 eandem attingi sententiam, quae uberius tractata est velut de fin. III cap. 12 IV cap. 8. alter vero locus, quo ille vir doctus sententiam suam putat confirmari[2], quamquam est subobscurus, certe ad Finium libros minime referendus est. Tyrannionem enim ex illo loco apparet (ad Att. XII 6, 2) scripsisse acutam quandam atque subtilem[3] de accen-

[1] Fidem habuit Drumanno Teuffelius sive Schwabius de litt. Rom. § 184, 9; recte iudicavit C. F. W. Muellerus lib. de fin. I argum.

[2] hist. Rom. vol. VI p. 323 adn. 39.

[3] ea enim est vocabuli 'tenuis' vis, cf. pro Murena 11, 25 Acad. pr. II 14, 43.

tibus artem; quae Bosii[1] sententia confirmatur testimonio Sergii qui vocatur explanationis in Donatum I vol. IV p. 530, 10 Keilii. eam igitur 'tam tenuem ϑεωρίαν tam valde admiratum esse' Atticum Cicero scribit se gaudere. *sed quaeso* inquit *quid ex ista acuta et gravi* [intellege prosodia] *refertur ad τέλος?* haec Drumannus ad libros de finibus anno 708 incohatos spectare iudicavit. at quae tandem est ista quaestio aut qui iocus? immo nobis propius ad veram sententiam accessisse videtur Paulus Manutius[2], cum sic interpretaretur *in re versatur minime necessaria.* sed quid significaverit Tullius, apertius fiet, si comparaveris artis definitionem Stoicam quam affert Dionysius Thrax pag. 115, 1 ed. Uhlig.: τέχνη ἐστὶ σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ, quam eandem definitionem ex Tullii nescio quo libro affert Diomedes libro II pag. 421, 5 K. quae si recte contulimus, Drumanni ratio stare non potest. nam quem supra ex Legum libris laudavimus locum, eo nihil probatur nisi Ciceronem eo tempore, quo illa scripsit, cogitasse de quaestione illa uberius explicanda. accedit quod gravissimi testes, ipsius Ciceronis epistulae, aliter rem se habere affirmant. etenim quod Tullius a. d. XVII. Kal. Apr.[3] a. 709 ad Atticum (XII 12, 2) scripsit *de Epicuro, ut voles, etsi μεϑαρμόσομαι in posterum genus hoc personarum,* inde sequitur habuisse Ciceronem circa medium mensem Maium constitutum Epicureorum de finibus bonorum et malorum sententiam exponere et refutare, h. e. libros de finibus qui nunc sunt primum et alterum conscribere; de Stoicis et Peripateticis nihil. item libri primus et, opinor, alter significantur ad Att. XIII 32, 2 *Torquatus Romae est; misi ut tibi daretur* et XIII 5 *misi tibi Torquatum;* scriptae autem sunt epistulae illae altera IV., altera III. Kal. Iun.; itaque licet statuere, libros de finibus I et II confectos esse versus exeuntem mensem Maium. ceterorum

[1] animadvers. in epist. Cic. ad Att. pag. 215.

[2] in Cic. epist. ad Att. comment. pag. 512.

[3] In diebus quibus epistulae scriptae sunt constituendis sequor Schichium Hermae vol. XVIII pgg. 588 sqq.

librorum mentio non fit ante VIII. Kal. Quinct., quo die Cicero ad Atticum XIII 12, 3 scribit se 'illam περὶ τελῶν σύνταξιν' despondisse Bruto; paucis diebus post (ibid. 19, 4) confectos dicit illos libros; circa Nonas Quinctiles eos in librariorum manibus fuisse cognoscitur ex epistula eiusdem libri 23, 2. itaque totum de finibus corpus confectum est post medium mensem Iunium. — Iam de Academicis prioribus videamus. ea describi coepta esse ante Torquatum quem dicit, apparet ex epistula ad Att. XIII 32, 2, quam supra laudavimus; absoluta dicuntur circa Idus Maias ad Att. XII 45, 1. nam 'duobus magnis συντάγμασιν', de quibus eo loco verba fiunt, non comprehendi cum Academicis libros qui sunt de finibus, id quod credebant Chapmannus[1] et Madvigius[2], et ex temporum, quam exposuimus, ratione intellegitur et demonstratum est a Reidio.[3] iam apertum est, opinor, iniuria negari, Academica priora ante libros de finibus scripta et confecta esse. sed ne de posterioribus quidem Academicis ea negatio valet. in eadem enim epistula, qua quinque illos libros confectos esse nuntiatur (ad Att. XIII 19), 'confecta et absoluta' dicitur 'Academica omnis quaestio libris IV'. itaque erravisse Drumannum apparet vereque temporum ordinem de divin. II 1, 1—3 servatum esse.

Ad Hortensium ut redeamus, eum dialogum ante Academica scriptum esse et enumeratione illa probatur et apparet ex Acad. pr. II 2, 6 et de fin. I 1, 2, quibus locis illius mentio fit. plura probabiliter efficere sibi visus est Reidius[4]: haec enim ad Hortensium spectare putabat, quae leguntur in Oratore 43, 148 *quae* (scil. litterae) *quidem me antea in iudicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi; nec vero talibus modo rebus,*

---

1 dissert. chronol. de aetate Cic. libr. de leg pag. 9 adnot

2 Cic. de fin. praef. pag. LIX adn. 1.

3 Cic. Acad. ed. II introd. pag. 31 adn. 1.

4 Cic. Acad. ed. II introd. pag. 29 adn. 6. — idem 'Hortensiana', de quibus verba fiunt ad Att. IV 6, 3 (a. 698), non ad hunc dialogum pertinere recte iudicavit; videntur significari commentarii de orationibus Hortensii sive de rationibus quae intercesserant inter eum et Ciceronem conscribendi.

qualis hic liber continet, sed multo etiam gravioribus et maioribus; quae si erunt perfectae, profecto forensibus nostris rebus etiam domesticae litterae respondebunt. at nec satis cadunt illa *gravioribus et maioribus* in Hortensium, et, si quis velit universas philosophiae scriptiones intellegere, multo melius ad forensium laborum comparationem quadrare videtur Legum commemoratio, qui libri eodem anno eodem fere modo significantur ad fam. IX 2, 5 *modo nobis stet illud . . . ., si minus in curia atque in foro, at in litteris et libris . . . gubernare rem publicam et de moribus ac legibus quaerere.* neque igitur inde quidquam potest effici. sed sic velim computetur. satis perspicue Cicero compluribus locis velut Acad. post. I 3, 11 de nat. deor. I 4, 9 ad Att. XII 15 se inclusa habuisse philosophiae studia significat nec ad eam litteris illustrandam accessisse, antequam et fortunae gravissimo percussus esset vulnere et a rei publicae administratione remotus. atque illud fortunae vulnus constat fuisse filiae mortem, quam obiit anno 709 mense Ianuario exeunte aut Februario[1]. quo dolore affectus se primum ipse per litteras consolatus est. eius libelli quasi confecti, sed nondum descripti mentionem facit in epist. ad Att. XII 14, 3, quae scripta est VIII. Id. Mart. quamquam eo quidem tempore videtur nondum prorsus absolutus fuisse ille libellus, cum tangantur res ad eum pertinentes in quibusdam epistulis postea ad Atticum datis (XII 20, 2. 21, 5. 22, 2. 24, 2), quarum ultima scripta est XIII. Kal. Apr., ut etiam tum in perpoliendo libro Ciceronem occupatum fuisse appareat. sed paucis diebus post (IX. Kal. Apr.) ita de eo loquitur ad Att. XII 28, 2, ut tunc eum re vera absolutum fuisse possit statui; deficiunt enim inde ab eo tempore etiam percontationes illae. iam supra Academica priora circa medium mensem Maium confecta esse statuimus. duos fere menses Ciceronem in eis occupatum fuisse putamus, cum quattuor posteriorum Academicorum libros intra sex dies confecerit et absolverit? id enim efficitur collatis inter se epistulis ad Att. XIII 12, 3 et 19, 3. fuit autem per totum fere mensem Aprilem Cicero cum

---

1 cf. ad fam. VI 18, 5. ad Att. XII 13, 2 al.

Attico in hortis.[1] ibi si statuimus Hortensium conscriptum esse, et quid per id tempus egerit Cicero patefit, et hoc, quod, si aliter res se haberet, admodum mirum esset, probabiliter explicatur, quod Hortensii dialogi nusquam in Tullii epistulis ulla fit mentio, nisi fortasse ad Att. XIII 18, qui tamen locus potest etiam de Academicis prioribus intellegi, in quibus et ipsis Hortensius disputans factus erat.

Hoc igitur teneamus, hunc dialogum anno 709 mense Aprili aut Maio editum esse. qui ut Bruto probatus est[2], ita multos non solum ad legendum, verum etiam ad scribendum impulit. quo in numero Octavianum Augustum ponendum esse, qui teste Suetonio cap. 85 scripsit Hortationes ad philosophiam, vereor ne recte coniecerit Dielsius[3]; Senecam in Exhortationibus Ciceronis vestigia secutum esse veri simile est.[4] Luculentissimum vero testimonium exstat Aurelii Augustini. qui cum senex Confessionibus vitam suam scriberet, postquam de adulescentiae suae erroribus rettulit, quo modo XVIII annos natus ad severiorem vivendi rationem et ad studiorum sinceritatem redactus esset, his verbis exposuit[5] . . . *discebam libros eloquentiae, in qua eminere cupiebam fine damnabili et ventoso per gaudia vanitatis humanae; et usitato iam discendi ordine perveneram in librum cuiusdam*[6] *Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. sed liber ille ipsius continet exhortationem ad philosophiam et vocatur Hortensius. ille vero liber mutavit affectum meum et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia. viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili et surgere coeperam ut ad te redirem. non*

1 ad Att. XII 40, 2. cf. Gruberus quaest. de temp. atque serie epist. Cic. pag. 25. Schichius progr. gymn. Frid.-Werd. Berol. a. 1883 pag. 24.
2 de fin. I 1, 2.
3 Doxogr. p. 83. *Archiv für Geschichte der Philosophie* I 478.
4 cf. Hartlichius Stud. Lips. XI 307.
5 Confess. III 4, 7. cf. VIII 7, 17 de beata vita 4.
6 Sic libri teste Knoellio: *quendam cuiusdam* Benedictini, *quendam* Mignius.

enim ad acuendam linguam . . . referebam illum librum; neque mihi locutionem, sed quod loquebatur persuaserat. et ut ipse Augustinus, ita in illum librum delati sunt adulescentes illi, quos Aurelius in libris contra Academicos scriptis cum aliis colloquentes fecit, Licentius et Trygetius; qui quid possent in honestis artibus eo fidentius temptavisse se dicit ille[1], cum 'Hortensius liber Ciceronis iam eos ex magna parte philosophiae conciliasse videretur.' tractabatur igitur libellus ille saeculo quarto in scholis rhetorum Africanorum, orationis causa, ut solebat fieri, non sententiarum. sed his praeclarus ille vir vel senex adeo delectabatur, ut ad earum praestantiam depingendam vix satis reperiret verborum neque quidquam in eis se desiderare affirmaret nisi nomen Christi.[2]

Admirabili igitur modo in libro illo sententiarum gravitas et amplitudo videntur coniunctae fuisse cum sermonis elegantia et iucunditate, ita ut nosmet ipsi aveamus gustare eum libellum, qui, si integer ad nos pervenisset, aliquid fortasse valeret ad ingenium Ciceronis et mores rectius aestimandos. sed, ut est fatum invidum, ex Tullii libris, qui fuerunt de philosophia, ipse is, ad quem conscribendum illius stilum maxime idoneum fuisse arbitramur, aetatem non tulit. verum tamen non adeo mature periisse videtur ac credebat nescio quis doctus, qui in Musei Rhenani vol. I pag. 127 sq. quid de ea re sentiret indicavit[3]: eorum scilicet, qui doctrinae Christianae adversarentur, opera effectum esse, ut ei libri, 'quibus Christiana religio comprobaretur et vetustatis opprimeretur auctoritas'[4], abolerentur; quo pacto et Hortensium interiisse et librum de natura deorum tertium. fortasse ita fieri potuit: factum esse nobis persuasum non est. post Augustinum enim hunc dialogum legit (ut omittam eos, de quibus id minus certo affirmari potest) Maximus Taurinensis[5],

1 contra Academ. I 1, 4.
2 Conf. III 4, 8.
3 Eam sententiam mire pervertit Hartlichius Stud. Lips. XI 293.
4 Arnobius adv. nat. III 7.
5 contra paganos, tom. LVII pag. 783 Mign.

qui vixit saeculo V[1]; legit deinde is qui scholia composuit in Ciceronis de imperio Cn. Pompei orationem[2], quae scholia post annum DC scripta esse iudicavit Stangelius[3]; qui paulo post, saeculo VIII, Ciceronis libros excerpsit, Hadoardus presbyter, etiam Hortensium legit; nam quod eundem quem is inde exscripsit[4] locum ex Cicerone affert Augustinus[5], hoc unum fragmentum aliunde petiisse Hadoardum inter tot locos ipsius Tullii lectione congestos non est cur suspicemur. contra Claudius Taurinensis quae ex Hortensio affert[6] duo unius periodi frustula, ea ex Augustino descripsisse videtur; quae opinio eo confirmatur, quod bonus ille episcopus et Augustini disciplinam maxime coluit[7] et se 'nec saecularis litteraturae didicisse studium neque aliquando exinde magistrum habuisse' ipse profitetur[8].

Sed iam ad eam pervenimus aetatem, quae vulgo, cum de antiquarum litterarum studiis agitur, tamquam crassis obscurata et circumfusa tenebris praeteriri solet silentio. qua opinione factum esse videtur, ut per hos multos annos nemo adversaretur ei sententiae, quam tulit Schenkelius in Philologi vol. XXXI pag. 563 sq., Hortensium medio quod dicitur aevo superfuisse negans. atque hoc certe concedendum est viro docto, Rogerium Baconem, cum sic scriberet[9] *M. Tullius in Hortensio dicit, quod omnis noster intellectus multis obstruitur difficultatibus*, significasse locum Luculli Tulliani 3, 7, ubi haec leguntur *omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus*. cuius facti quam rationem dedit Schenkelius, ne ea quidem probabilitate caret:

---

[1] Gennadius de viris illustr. cap. 40 ap. Fabricium bibl. eccles. ibique Miraeus.
[2] schol. Gronov. pag. 404, 20 et 441, 10 Bait.
[3] *der sogen. Gronovscholiast* Pragae 1884, p. 27.
[4] Philol. suppl. V pag. 462.
[5] de trinit. XIV 9, 12.
[6] Praef. comment. ad epist. Pauli ap. Mai. Script. vet. nov. coll. t. VII p. 274 sq.
[7] C. Schmidtius *Zeitschr. f. historische Theologie* XIII 45.
[8] ibid. pag. 48.
[9] Operis maioris pag. 2 ed. Iebbii.

censet enim in eo Luculli libro, quo usus est Rogerius, dialogo illi sive inscriptum sive subscriptum fuisse sic *ad Hortensium liber*. et vel sic vel similiter olim inscriptum fuisse Lucullo, eius rei multa hodie exstant testimonia. eodem enim fere tempore quo Rogerius illa scripsit, Vincentius Bellovacensis, qui mortuus est anno 1264, Tullium 'in dyalogo ad hortensium' laudavit[1] Lucullum (46, 140) significans. centum fere annis ante Philippus episcopus Baiocensis ecclesiae Becci aliquot codices dono dedit, quorum in uno inerat 'ad Ortensium liber I'[2], quem Lucullum fuisse veri simile est propter locum quem obtinet inter reliquos Tullii libros eo codice comprehensos. in codice Gudiano altero, qui exaratus est saeculo XIV, Lucullo subscriptum est *ad Hortensium liber.*[3] Petrarca inscriptione *de laude philosophiae* deceptus aliquantum temporis Hortensium se invenisse putabat, cum haberet Lucullum[4]. in libro quodam miscellaneo, qui asservatur Bruxellis[5] et scriptus est saeculo XV, tamquam ex Hortensio afferuntur tres loci e Lucullo[6] desumpti. denique in codice Harleiano 6327, qui exaratus est saeculo XV exeunte aut XVI ineunte, Lucullus vocatur 'de laude ac defensione philosophiae liber[7] unus ex quattuor Academicis ad Hortensium'.[8]

---

[1] Spec. doctr. IV 13 (non, ut apud Baiterum Cic. vol. XI pag. 56 legitur, V 12). primus attulit Devitus in sententiarum Varronis editione a. 1843 pag. 81.
[2] Ravaisson. *Rapports sur les bibliothèques des départements de l'ouest*.. Paris. 1841 p. 393.
[3] Schenkelius l. l. Reidius Acad. ed. II p. 37 adn. 9. inscriptio esse videtur *Academicarum quaestionum liber quartus*: Halmius *zur Handschriftenkunde der Cic. Schriften* pag. 7.
[4] Voigtius de renat. litt. ant. ed. II vol. I p. 39 sq. Hortis Archaeographi Triestini vol. VI pag. 105 adn. 2 al.
[5] in bibliotheca Burgundica, num. 1169. cf. P. Thomas *Revue de philologie* III 152.
[6] 41, 127. 9, 27. 29.
[7] Haec Hortensii inscriptio potest quidem ab ipso Cicerone profecta esse, cf. Acad. pr. II 2, 6. de fin. I 1, 2. Augustin. de beata vita 10 (frg. 29/39). supra de Petrarca.
[8] Reidius Acad. ed. II introd. p. 37 adn. 9.

Itaque, uti diximus, recte Schenkelius qua ratione ortus sit Rogerii ille error iudicavit. neque tamen satis caute egerunt cum is vir doctus, cum Hortensium medio aevo videri non exstitisse affirmaret, tum Paulus Thomas, cum ullam eius dialogi spem esse inveniendi nisi in codice aliquo rescripto negaret[1]; qua de re recte iudicavit Alphonsus Le Roy[2]. etenim primum constat, non in omnibus codicibus Lucullo falsam illam inscriptionem datam esse; immo eam ex septem codicibus, de quibus Reidius Anglus, novissimus Academicorum editor, rettulit[3], duo tantum, de quibus supra diximus, exhibent[4], veram reliqui, in quibus Leidenses saec. XI et XII. — Deinde animadvertenda sunt ea, quae nuper edidit Reidius[5] ex codice Cantabrigiensi; qui liber scriptus est ipse anno 1444; in margine autem habet multas adnotationes, quibus loquitur Guilelmus Malmesburgensis, qui scriptor rerum Anglicarum mortuus est paulo post annum 1143. is igitur quem Luculli codicem scholiis instruxerat, ab eo codice originem ducit liber Cantabrigiensis. sed ex eis scholiis quae animadvertenda esse diximus, haec sunt *tertius vero et quartus liber Achademicorum hi duo sunt qui proprie Lucullus appellantur*[6], *quia in uno introducitur Lucullus*

[1] Comment. acad. Belg. ser. II t. XLIII p. 170.

[2] ibid.: *la conclusion de M. Thomas me paraît un peu trop absolue; à coup sûr, elle contient plus que les prémisses.*

[3] ed. II introd. p. 37 adn. 9.

[4] Cod. Marcianus saec. XI, de quo rettulit Reifferscheidius Mus. Rhen. XVII 295, in indice haec exhibet *eiusdē ad Lucullū. lib. I.;* unde quaedam oritur dubitatio, num re vera ille de Hortensio error, ut dudum coniciebamus, inde natus sit, quod in Lucullo ii, qui inter se collocuturi sunt, convenire finguntur in villam Hortensii; nec magis verum est quod Reidius l. l. p. 31 adn. 3 statuit, ob eam rem id factum esse, quod in Lucullo quoque Hortensius colloquii particeps esset; nam eius partes admodum exiguae sunt. sed si meminerimus, altera Luculli parte contineri Luculli contra Academicos orationem, altera disciplinae Philoneae defensionem, apparebit, opinor, quam facile potuerit fieri, ut Lucullus confunderetur cum Hortensio, quippe quo in libro et accusationem fuisse constaret et defensionem ad philosophiam pertinentes.

[5] l. l. pag. 67 seq.

[6] et ipse cod. Cantabr. verum habet indicem.

contra Achademicos disputans, in altero Tullius ei pro Achademicis respondet. dicit idem Cicero in principio secundi libri de divinatione se composuisse librum in quo introduxit Hortensium hortantem ad studia philosophiae. dicit etiam ibidem se VI libros de re publica edidisse. qui libri quia in Anglia non reperiuntur eqs. ex eis verbis colligitur et Guilelmum non vidisse Hortensium, et nominum illam confusionem ea aetate in Anglia nondum vulgatam fuisse. ea autem niti nimiam illam Schenkelii dubitationem supra explicatum est.

Sed unum restat testimonium, quod ut paulo accuratius consideretur non indignum est. Bertholdus enim in Annalium prooemio[1] narrat, Hermannum, Augiae maioris abbatem, eodem die, quo mortuus sit (anno 1054), sibi ad lectum advocato cum alia dixisse tum haec *per totam quippe noctem hanc in exstasi quadam raptus fueram; et videbar mihi ea memoria et scientia, qua orationem solemus dominicam, Hortensium Tullii Ciceronis lectitando et mox relectitando vigilanter percursitare et remanentis adhuc sensum et scripturam materiae, quam proposui de vitiis dictandam, quasi iam scripserim, similiter lectitare, et id genus multa. cuius nimirum instinctu et hortatu lectionis tanto mihi totus hic praesens mundus cum suis omnibus et ipsa haec vita mortalis contemptui et taedio est, et e contrario tam ineffabili desiderio et dilectioni futurus ille non transitorius mundus et aeterna illa et immortalis vita, ut quasi nichili et inane cuncta transitoria haec omnino putentur et flocci pendantur a me. taedet quidem me vivere.* de eo igitur loco Schenkelius satis confidenter haec scripsit *wenn Bertholdus . . . berichtet, dass Hermannus Contractus an seinem Todestage noch fleissig im Hortensius des Cicero gelesen habe, so wird man auch hier nur den Lucullus zu verstehen haben.* nos cautius agamus. ac primum quidem Hor-

[1] Monum. German. ed. Pertz. vol. VII (script. V) p. 268. inde pauca excerpsit Baehrius de litt. Rom. § 366 adn. 15, unde petita esse videntur quae rettulit Schenkelius l. l.

tensium ea nocte non legit Hermannus, sed legere sibi visus est. quid? inquiet is qui contra dicturus est, tu tua caedis vineta? nam Ennius quoque semper florentis Homeri sibi in somnio exortam commemoravit speciem, quamquam eum viderat numquam; quid facimus isto somnio? nil, sodes, solo quidem illo; sed totum locum adscribendum duxi, si quid forte inde posset effici et potest, opinor; ponamus enim paulisper, Hortensium hoc loco non Hortensium dici, sed Lucullum: nonne mirus videbitur ille motus, quo animum suum ex illa lectione affectum esse dixit Hermannus? nam de cognitionis difficultate eum non cogitasse ipsa verba docent; huius autem mundi despectio vitaeque humanae contemptio ex quo Luculli loco nasci potuerit, nobis quidem perspicuum non est. in Hortensio autem multis verbis de hominum vanitate atque infelicitate dictum esse infra exponetur; nunc satis erit attulisse frg. 88 ed. Bait. = 95 ed. Muell. quod si quis dicat: at Hermannus, ut quae nondum scripserat sibi visus est legere, ita potuit ea, quae numquam viderat — ei respondemus, illum, quae ipse dictaturus erat, certe memoria tenuisse, et quae in vita homines usurpant cogitant curant, ea si cui in somnio accidant, minus esse mirandum, Hortensii autem argumentum et verba, nisi ipse ante saepe legisset, non potuisse illum ne in somnio quidem ‘ea memoria et scientia, qua orationem solemus dominicam, lectitare et relectitare’. hoc igitur satis esse videtur demonstratum, Hermannum Contractum neque Hortensium vocare solitum esse Academicorum priorum librum II et verum Hortensium vidisse atque legisse[1].

Iam ut complectamur quae consideratis eis, quae de Hortensio e medio aevo exstant, testimoniis statuimus, haec constant: primum confusionem illam, qua Academicorum priorum liber II vocabatur Hortensius sive dialogus ad Hortensium, ante saeculum XIII exstitisse hodie non potest comprobari. deinde ne post eam quidem aetatem omnes libri exhibuerunt falsam illam inscriptionem. denique ex saeculo XI duo exstant testimonia, in quibus inscriptiones illae non inter se confunduntur, praeterquam quod ex altero loco videtur colligendum esse, verum Hortensium ea aetate superfuisse.

[1] In carminis illius Hermanni parte priore, quam edidit Duemmlerus in Hauptii ephem. ant. Germ. XIII 385 sqq., multa sane occurrunt, quae Hortensii memoriam excitent, sed illa Christianis sententiis mixta, ita ut nihil pro certo affirmari possit. ex altera parte hoc superest distichon (ap. Iaffeum biblioth. rer. Germ. V 38), cuius sententia potest ex Hortensio petita esse

si non sufficiant tibi res, tu suffice rebus;
sufficiens fueris nil cupiendo magis.

Tandem igitur desinant viri docti, simulatque inventum est Hortensii nomen in bibliothecae alicuius catalogo, clamare eum non esse Hortensium sed Lucullum, sed fateantur se nescire, uter liber significetur, probabilitatemque expendant. velut ex codice Panormitano Vincentius de Giovanni[1] edidit catalogum librorum qui fuerunt Sebastiani Bagolini, mortui anno 1604, in quo affertur ‘Ciceronis Hortensius’. sed eo loco Lucullum significari veri simillimum est, cum vix credi possit, eum librum, quem Petrarca frustra quaesierat, si tum temporis in Sicilia exstaret, editum non esse. nova autem fragmenta Hortensio adscripta si inveniantur apud aliquem temporum illorum scriptorem, utrius libri sint, cum Lucullus integer ad nos pervenerit, facile est ad diiudicandum, ita ut, quae in eo libro non inveniantur, Hortensio tribuere sat magna cum fiducia liceat. tamen in ea quoque re cautio adhibenda est nec, si fragmentum aliquod veri Hortensii esse credendum sit, inde temere concludendum, eum, apud quem traditum est, auctorem legisse ipsum Hortensium; sed circumspiciendum, nonne ex tali libello, qualis est Hadoardi ille, hauserit. id quod fecisse videtur Albertus Magnus, qui tribus locis unam eandemque sententiam ex Hortensio dialogo affert, quam non possumus non vero Hortensio tribuere, cum neque in Lucullo inveniatur et ad Hortensii argumentum egregie quadret; qua de re infra dicemus.

Quam supra iudicavimus fuisse huius libri praestantiam, eam mente comprehendere conati sunt viri docti et renascentium

[1] *Filologia e letteratura Siciliana* III 256.

litterarum temporibus et hac aetate. atque ex illis quidem singulari ratione et quae redoleat illam, quae tum in his studiis vigebat, tamquam iuvenilem alacritatem, egit Iacobus Sadoletus[1]. edidit enim anno 1538 libros de philosophia duo, quorum altero, cui inscripsit Phaedro, accusatio philosophiae continetur, defensio altero. in quibus libris quod laudat Sigonius[2] ingenium ac iudicium, verborum ac sententiarum copiam, ei iudicio facere non possumus quin subscribamus. nam etiamsi non videtur adhibuisse veri Hortensii fragmenta, hausit tamen ille ex profunda Ciceronis lectione et sententias suas, quae, si pauca doctrinae Christianae vestigia detraxeris, hominem produnt vere Romanum, eis ornavit coloribus, ut potuisse certe Ciceronem ita scribere concedendum sit.

Sed via ac ratione pristinam Hortensii formam indagare instituit is, cui primam post Robertum Stephanum fragmentorum Tullianorum editionem cum cura ac diligentia paratam debemus, Carolus Sigonius[3]. eum subsecutus est Andreas Patricius[4]; qui multa rectius adornavit quam Sigonius, maxime in ordine fragmentorum constituendo, quamquam mutandi rationibus non expositis. atque id opus adeo placuit viris doctis, ut quicumque fragmenta Ciceronis ederet, in Hortensio quidem satis haberet Patricium sequi. quae consuetudo ne nostra quidem aetate missa est. in editione enim Orelliana altera pauculis exceptis minutiis ordo Patricianus expressus est. apud Baiterum pauca accesserunt; in reliquis is nihil fecit nisi testimonia separavit a fragmentis; qua via longius progressus est C. F. W. Muellerus, simul numerorum varietati ita consulens, ut testimonia et fragmenta, quae Baiterus separatim computaverat, una serie exhiberet. quae variatio quid habeat utilitatis aut delectationis, nos quidem fugit;

---

[1] cf. Fabricius bibl. Lat. I 209.

[2] Fragm. Cic. ed II fol. 101 r.

[3] Prima editio prodiit Venetiis a. 1559, altera, qua nos usi sumus, ibidem a. 1560.

[4] M. Tulli Ciceronis fragmentorum tomi IV cum adnot. ed. I Venetiis 1561, II ibid. 1565. hac nos usi sumus.

tamen in hac commentatione, ut consulamus legentium si qui erunt commodo, et Baiterianos numeros afferemus et Muellerianos.

Ut praetereamus pauca, quae superiorum saeculorum viri docti hic illic attulerunt, singularibus commentationibus Hortensius tractari coeptus est hoc demum saeculo. ac primus quidem nominandus est Fridericus Schneiderus[1], qui nonnulla recte exposuit, eo tamen minus nobis operam suam probavit, quod aliquanto nimius fuit in partiendo et disponendo. post eum qui operam navarunt huic dialogo viri docti, plerumque profecti sunt ab Aristotelis libro protreptico, quo Cicero usus esse putatur. ac reliqui quidem, ubi usui esse videbitur, laudabuntur; nunc afferendus est is, qui nuper totius dialogi formam adumbrare conatus est, Paulus Hartlichius[2]. qui cum id ageret, ut maxime protreptici natura perspiceretur et qua ratione penderet hic dialogus ex aliis eius generis libellis, facere non potuit, quin ea fragmenta, quae sive alio pertinerent sive non satis luminis afferrent illi quaestioni, neglegeret. de quibusdam eius sententiis infra locus erit agendi. item Useneri operam, quam in prima Hortensii particula exhibenda et explicanda collocavit[3], hoc loco in universum laudasse sufficiet[4]. nos id maxime spectabimus, ut ex ipsis fragmentis dialogi formam animo informemus; afferemus praeterea quae aliunde videantur posse adscisci; denique singulis fragmentis constituendis operam dabimus.

Itaque ut a libri initio capiamus initium disserendi, de prooemio quamquam nihil disertis verbis traditum est, tamen aliqua sive contendere licet sive conicere. nam si meminerimus fuisse hunc dialogum ex eo genere, quo exhortatio contineretur

---

[1] Hortensii fragmenta disposuit atque explicavit in gymnasii Tremesnensis programmate a. 1841 edito; quibus pauca addidit in programm. a. 1844; haec ad verbum fere repetita sunt et in Iahnii arch. philol. XI 536 sqq. et in Bergkii et Caesaris ephem. antiq. a. 1845. suppl. 1. pag. 20 sq.

[2] Stud. Lips. XI 291—300 et passim.

[3] Dionys. Halic. de imit. reliq. (Bonnae 1889) p. 117 sqq.

[4] Quae de Hortensio exposuit Sacellaropulus in *Ἐφημερίδι τῶν φιλομαθῶν* (*ἔτ. κζ′*), ea ut inspicerem mihi non contigit.

ad studium philosophiae, sat magna, opinor, cum probabilitate statuemus in prooemio collocatum fuisse frg. 48 (Bait.)/57 (Muel'.) (Non. p. 235, 18)

> *nam quod vereris, ne non conveniat nostris aetatibus ista oratio, quae spectet ad hortandum, . . .*

ut enim nostrae aetatis scriptores in praefationibus quas vocant, ita Cicero in prooemiis solebat consilium et rationem eius libri, quem editurus erat, exponere[1]. sed Hortensius ad quem missus sit, traditum non est, nisi forte ad Brutum, ad quem complures praeterea libros (Orat. de fin. Tusc. disp. de nat. deor.) misisse Tullium constat, quippe a quo ad illas philosophiae scriptiones impulsus esset[2]; cui opinioni aliquid fortasse accedit fidei ex lib. de fin. I 1, 2 *qui liber* [Hortensius] *cum et tibi* [Bruto] *probatus videretur et iis, quos ego posse iudicare arbitrarer* eqs. is igitur quisquis fuit, sive re vera Ciceroni ante librum absolutum dixerat sive fictus est dixisse se vereri ne non conveniret argumentum libri aut ad suam aetatem aut ad Ciceronis. ad eam dubitationem quid responderit Cicero, conicere licet ex Luculli prooemio: philosophiae tractationem optimo atque amplissimo quoque dignissimam esse; et fortasse M. Catonis exemplo usus est, qui Graecas litteras in senectute didicisset.

Deinde ad prooemium referendum esse conicimus frg. 37/47, quod ab Arusiano Messio vol. VII p. 458, 17 Keil. sic traditum est

> *bellum cum illo gerit: Cicero in Hortensio*
> *qui cum hodie bellum cum mortuo gerunt.*

Gudianus codex exhibet haec *quicum mortuo hodie bellum gerunt*, unde Keilius sic scribendum esse suspicatur *qui hodie bellum cum mortuo gerunt.* neque vero de ea re quidquam licet efficere in tantulo fragmento et quod qua ratione cum proximis coniunctum fuerit prorsus nesciamus. ad sententiam autem enucleandam valet aliquid locus Trebellii Pollionis qui vocatur

---

1 Cf. Schlottmannus dissert. Rostoch. a. 1889, cui inscripsit *Ars dialogorum componendorum quas vicissitudines apud Graecos et Romanos subierit*, pag. 43.

2 Tusc. disp. V 41, 121.

(testim. 8 / fragm. 8)[1], ubi is se plura de Gallieno in eo libro narraturum esse negat; multa enim alio loco proferenda esse, quae iterum dici minus utile videatur; *huc* inquit *accedit, quod quaedam etiam studiose praetermisi, ne eius posteri multis rebus editis laederentur. scis enim ipse tales homines cum is, qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum. nec ignota esse arbitror, quae dixit Marcus Tullius in Hortensio* eqs. eundem Hortensii locum significari quem affert Arusianus, manifestum est. verum cavendum est, ne verborum similitudine decepti Ciceroni intrudamus sententiam, quae biographi illius propria sit. apud hunc enim bellum gerunt homines cum iis, qui aliqua de eorum maioribus scripserunt, cum contumeliis scilicet aut reprehensione: apud Ciceronem bellum geritur cum mortuo a rerum scriptoribus; id enim intellegitur ex Pollione sive quisquis fuit, qui certe loci Tulliani mentionem non fecisset, nisi quid sibi inde parari putavisset excusationis. fuit igitur apud Ciceronem quaedam vituperatio eorum, qui in aliquem mortuum scribendo invecti erant, ita fere ut apud Archilochum legitur *οὐ γὰρ ἐσθλὸν κατθανοῦσι κερτομέειν ἐπ' ἀνδράσιν.* ac non universam fuisse eam vituperationem, sed ad certum aliquod factum spectavisse apparere videtur ex verbo *hodie*, quo ipsa auctoris tempora significantur. iam de quo mortuo per litteras contumeliis petito egerit Cicero, pro certo statui hodie non potest. tamen si licet coniecturam proferre, mortuum illum Catonem esse putamus. cuius laudes cum Cicero anno 708, quamvis tempora timens, ut dicit[2], inimica virtuti, proprio libello celebravisset, Iulium Caesarem eiusque amicos contra scripsisse constat[3]. atque ipsius quidem Caesaris Anticatones, quos conscripsit 'sub tempus Mundensis proelii'[4], h. e. circa XVI. Kal. Apr. a. 709, Ciceroni eo tempore, quo Hortensium coniecimus scriptum esse, nondum in manus venerant. sed quid molirentur illi, probe

---

1 vitae Salonini Gallieni 2, 1.

2 Orat. 10, 35.

3 cf. Goettlingius opusc. pag. 153 sq.

4 Sueton. Caes. 56.

sciebat: Hirtii enim librum, quo is collegerat vitia Catonis, accepit ineunte mense Maio[1] compertumque habebat eodem fere tempore, Caesarem scripsisse vituperationem Catonis[2]. quod quam aegre tulerit, intellegitur ex epistulis eo tempore scriptis, velut ad Att. XII 44, 1, ubi cum stomacho quodam atque contemptu Atticum rogat, ut Hirtii librum divulgandum curet, et ex proxima epistula (§ 3), ubi acerbe se Caesarem malle dicit *σύνναον* Quirino quam Saluti[3]. itaque cur in libro eodem fere tempore scripto non potuerit significare, quam abiectum hoc esset, cum mortuo cive bellum gerere, non videmus. sed, uti diximus, pro certo neque hoc statui licet neque aliud quidquam.

Tertium prooemio tribuendum esse opinamur frg. 79/86 (Non. p. 338, 8)

qui cum publicas iniurias lente tulisset, suam non tulit. quo quis significetur, coniectura assequi conatus est Petrus Victorius[4]. cognovit enim 'quadrare ea verba mirifice personae Aristogitonis Atheniensis, qui cum civitatem ab iniusto homine vexari omnique dignitate spoliari cerneret, sua nihil interesse putaverit, quid de illis rebus fieret, idem tamen postea, cum Hipparchum . . . Harmodium, cuius amore flagrabat, conciliare sibi velle intellexisset, suam hanc privatam iniuriam non tulerit, sed . . . dolorem suum ultus sit.' nos, quis significetur, quaerere desistimus; sed qua de causa illud, cuiuscumque fuit, exemplum posuerit Tullius, recte fortasse cognoscemus recordati, quam saepe ille in prooemiis exposuerit, quomodo factum esset, ut ipse, qui antea rei publicae gubernacula tenuisset, tum frueretur eo otio, cui paene deesset dignitas; velut de nat. deor. I 4, 9 haec scripsit *hortata etiam est, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo fortunae magna et gravi commota iniuria*, et Caesare mortuo de divin. II 2, 7 *quod cum accidisset nostrae rei publicae* [scil. ut ab uno teneretur], *tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis*

[1] ad Att. XII 40, 1.
[2] ibid. 41, 4.
[3] cf. Drumann. hist. Rom. VI 296.
[4] Var. et antiq. lect. lib. XX cap. 21

hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus; et paulo ante (§ 6) *dabunt igitur mihi veniam mei cives vel gratiam potius habebunt, quod, cum esset in unius potestate res publica, neque ego me abdidi neque deserui neque adflixi neque ita gessi quasi hominibus aut temporibus iratus, neque porro ita aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae paeniteret*[1]. quibus locis comparatis fragmentum illud in prooemio locum habuisse, ita ut vituperatio quaedam in eo inesset Ciceronemque ipsum aliter agere significaretur, nonnulla cum probabilitate nobis videmur statuere.

Denique quod Sigonius[2] fuisse in hoc prooemio coniecit laudes Hortensii, ut Catulus et Lucullus laudati sunt in Academicorum priorum prooemiis[3], id sane veri simile est, praesertim cum Hortensius paucis annis ante conscriptum hunc librum (anno 704[4]) mortuus sit. neque tamen ad eam prooemii particulam quod pertineat fragmentum videtur exstare. nam quod idem Sigonius frg. 1/15 sic constituit *et Paulum Marcelli occupavisse*, cum codices Nonii pro *Marcelli* exhibeant aut *angelli* aut *macelli*, sic interpretatus 'Paulum Marcelli collegam invenisse' scil. Hortensium, ita ut significarentur L. Paulus et C. Marcellus, quibus consulibus mortem obiit Hortensius, et videretur paucis ante eius mortem sive diebus sive mensibus habita haec disputatio, ea cum interpretatione neque sententiae conformatio congruit neque temporum ratio, qua colloquium illud certe ante annum 694 habitum esse demonstratur.

Etenim participes fuere praeter Ciceronem et Hortensium L. Licinius Lucullus et Q. Lutatius Catulus Capitolinus, e quibus hic anno 694[5], ille paucis annis post mortuus est. nam eis Q. Lucilium Balbum falso a quibusdam ex Augustini verbis, quae contra Iulianum haer. Pel. def. IV 14, 72 ante Hortensii frg.

[1] cf. etiam Bruti 2, 8.
[2] l. l. fol. 98 v.
[3] cf. ad Att. XIII 32, 2.
[4] cf. Bruti 1, 1.
[5] Drumannus hist. Rom. V 596, 13. 675, 67.

74/81 leguntur et spectant ad librum de natura deorum II, additum esse Krischius adnotavit[1]. inde igitur ut ante annum 694 hoc colloquium habitum esse apparet, ita orationis Tullii Cornelianae mentio, quam fragmento 47/14 inici infra exponemus, non ante annum 689 vel non multo potius post eum annum id factum esse demonstrat.

Temporis autem occasionis loci expositio quo modo instituatur, ut in arte poetica gravissimi est momenti, ita in dialogis, quibus quid commune sit cum scaenicis scriptionibus apertum est, non parvi faciendum. et ut ex veterum poetarum numero ii, quos cum Cicerone consulares possis dicere, rem ita instituerunt, ut quae scire opus esset ad intellegendum fabulae argumentum, ex ipsa fabula haurire possent spectatores, ita post Platonem egit Cicero in Legum libris I et II, quos elegantissimis exordiis et Phaedri Platonici resipientibus suavitatem instruxit: ipsis enim colloquentibus inductis proficisci facit sermonem a loci laudibus, unde per ambages quasdam haud iniucundas ad eam rem deducit legentes, de qua acturus est. nec sine arte et venustate sermonum exordia instituit in Bruto, de finibus quinto, Academicorum posteriorum primo. quem in numerum Hortensium quoque referendum esse luculenter docere videntur exordii fragmenta, quae iam consideranda sunt. ac primum velim spectentur haec: frg. 2/16 (Non p. 438, 10)

> *quod cum uterque nostrum adnuissent, omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus, . . .*

frgg. 3/17 (*cum — ornatam*, schol. Gronov. p. 404, 20) et 4/18 (*Luculloque — fuisset*, Arusian. Mess. vol. VII p. 476, 4 Keil.)[2]

> *cum in villam Luculli ventum esset omni apparatu venustatis ornatam, Luculloque noster adventus et gratus et iucundus fuisset, . . .*

---

[1] Stud. Gotting. a. 1845 part. II pag. 128 adn. l. cf. Aug. c. Iul. IV 12, 58 '*Balbus' inquis 'apud Tullium cum Cotta vere diligenterque disseruit'*. vix hoc monerem nisi opinione illa decepti essent Drumannus hist. Rom. VI 322, 18 et C. F. W. Muellerus in libri de nat. deor. II argumento.

[2] coniunxit Keilius l. l.

apparet inter Catulum Hortensium Ciceronem, cum essent in urbe et sive Catulus sive Hortensius proposuisset, convenisse ut postero die una ad Lucullum, qui ruri erat, proficiscerentur. quod vide quam apte fictum sit: nempe oportebat declarari, quo modo factum esset, ut viri in re publica illis quidem temporibus maxime occupati tempus sibi sumerent ad disceptandas eas quaestiones, quae minime ex re publica essent petitae. eodem artificio usus est Cicero in libro de oratore I 7, 24 sqq., ubi anno 663 'ludorum Romanorum diebus L. Crassum quasi colligendi sui causa se in Tusculanum contulisse' cum familiaribus narrat, et cum primo die de temporibus deque universa re publica collocuti essent postero die animi relaxandi causa (8, 29) Crassum sermonem quendam de studio dicendi intulisse[1]. similiter igitur in Hortensio res instituta est. atque ex eius, qui rusticationem illam suasit, verbis pauca servasse nobis videtur Nonius p 269, 10 haec (frg. 81 88)

> *ea facultas maioribus nostris*[2] *erat, qui confectis senatus consultis . . .*

quae verba in hanc fere sententiam supplenda esse censemus *qui confectis senatus consultis rus ex urbe tamquam e vinclis evolare solebant.* conferas enim de leg. II 1, 3 de off. III 1, 2 de sen. 16, 56; nec multo secus scripsit Varro rer. rust. I 2, 1 *quid vos hic? num feriae sementivae otiosos huc adduxerunt, ut patres et avos solebant nostros?* quamquam potest illa sententia etiam ad alium locum pertinere, de quo infra dicemus.

Pauca addere liceat de fragmento 2/16. in quo quod viri quidam docti pro *adnuissent* reposuerunt singularem numerum, nos secus iudicamus. quamquam Draegerus[3] negat cum *uterque* pronomine coniungi pluralem numerum, nisi pronomen et verbum aut longe inter se distarent aut diversorum essent enuntiatorum. cui normae quadrant loci Tulliani pro Mil. 27, 75 de fin. I

---

[1] cf. quae de Scribonii (qui mortuus est a. 701) dialogo tradit Cic. Brut. 60, 218.

[2] Sic Nonii libri et scripti et impressi omnes: *nostris maioribus* fragmentorum Ciceronianorum editiones omnes praeter Gerlachianam.

[3] *Historische Syntax der lateinischen Sprache* I 148.

5, 16. II 1, 1. sed concedenda esse videtur altera exceptio, ut, si inter pronomen et verbum intercedat aliquid. unde pronomen plurali sensu positum esse appareat, verbum quoque possit pluraliter enuntiari. velut Terentius scripsit Eunuchi v. 840 sq. *uterque, mater et pater, quasi dedita opera domi erant* et Caesar bell. civ. III 30, 3 *eodemque die uterque eorum ex castris stativis a flumine Apso exercitum educunt.* cui loco simillime conformatus est is, de quo agimus ex Hortensio.

Illuc redeamus. postero igitur die proficiscuntur illi ad villam Luculli Tusculanam; ita enim Cicero, cum colloquii partes per Hortensium et Academicorum priorum libros eisdem tribueret personis, rem instituit, ut in Hortensio colloquium fieret in villa Luculli, in Catulo apud Catulum, in Lucullo apud Hortensium[1]. eo cum venissent — nam fragmento 3/17, in quo liber exhibet *villa . . . bellum . . . ornatum*, rectam medelam attulit Madvigius[2] —, Lucullus eos salvos esse iussit; eam enim vim esse fragmenti 4/18 patet ex Reipublicae I 9, 14. 12, 18. deinde postquam consederunt loco aliquo naturae et artis ornamentis conspicuo, Catulus ipsum locum laudavit: frg. 5/19 (Arusian. Mess. vol. VII p. 467, 1 Keil)

hic primum Catulus delectatus ipso loco

Hortensius, et ut hospiti blandiretur et quod re vera signis et tabulis pictis admodum delectabatur, laudavit villae hortorumque ornatum: frg. 6/20 (Non. p. 128, 3)

nam cum omnis sollertia admiranda est, tum ea, quae efficit, ut inanima quae sint vivere et spirare videantur.

nam cur ea verba 'de ornamentis domus ac supellectilis sculptoris aut caelatoris arte nobilitatis', non de statuis picturisque intellegenda esse putet Usenerus[3], non video; spirandi enim verbum et de aeribus ponitur, velut a Vergilio Aen. VI 847, et de 'Pariis lapidibus', ut ab eodem Georg. III 34; hoc loco sane

[1] Lucull. 3, 9. Catuli villa prope Cumas, Hortensii apud Baulos sita erat: Cic. Luc. 25, 80. Plin. n. h. IX 55, 172.

[2] append. Ascon. Pedian. p 30.

[3] Dionys. de imitatione libr. reliq. p. 118.

etiam de illo genere dictum est; laudavisse autem Hortensium statuas et picturas, demonstrant verba scholiastae Gronoviani ad Cic. in Verrem I 20, 54 p. 404, 20 Bait. ***Hortensium praecipue videtur significare, qui huius modi signis et tabulis pictis familiariter delectabatur. id manifestius in Hortensio ostendit dialogo*** (sequitur frg 3/17). qui quod ea Ciceronis verba affert, quae non satis illustrent id quod illustrandum erat, id ei non semel accidit[1], ita ut in ea re non adeo haerendum sit, ut pro Lucullo cum Schuetzio substituatur Hortensius.

Sed iam delati sumus in eam dialogi partem, quae nuper edita et multifariae lectionis ope illustrata est ab Usenero[2]. qui vir doctissimus quod fragmento 6/20 subiunxit 9/23 10/24 atque, quod et ipsi dudum cum eis coniungendum censuimus, 41/51, id ne specie quadam ductus fecerit vereor. neque enim verum est, quod dicit, prima oratione, quam Catuli fuisse probabiliter conicit, de litterarum utilitate dictum esse; historiam enim, quae certe pars est litterarum, laudavit Lucullus (frg. 11/11). accedit, quod ipsa frgg. 9/23 et 10/24 Useneri sententiae videntur repugnare. ex eis enim, quae ibi adhibitae sunt, comparationibus videtur apparere, non tam agi de litteris earumque usu, quam de praeparandi necessitate; atque ea praeparatio instituenda esse dicitur non litteris tantum, sed 'litteris liberalibusque doctrinis' (ut interim Useneri lectionem sequamur). denique et sapientiae mentione in fragmento 9/23 facta et loco simili Tusc. disp. II 5, 13, quem infra accuratius cum his fragmentis comparabimus, eo adducimur, ut ab hoc Hortensii loco ea aliena esse censeamus.

Catulum igitur de poesi verba fecisse statuimus. in quam quo modo videatur a villae eiusque ornatus laudibus delatus esse sermo, intellegitur ex his quae de fin. III 2, 8 Tullius dicit de Lucullo puero ***his libris eum malo quam reliquo ornatu villae delectari.*** et ut Catulus poesim, ita historiam laudavit Lucullus teste scholiasta Gronoviano p. 441, 10 (frg. 11/11). quarum orationum fragmento Usenerus tam sagaciter collegit et exemplis ex

[1] cf. Stangelius *der sog. Gronovscholiast* pag. 27.

[2] cf. supra pag. 19.

ampla lectionis copia petitis ita illustravit, ut nos quidem quod addamus vix habeamus quidquam. primum enim recte quae Seneca scribit epist. V 9 (49), 5

> *negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus quo legat lyricos*

ea, eum post A. Maium ad librum de re publica IV 9, 9 adscribi solerent, ad Hortensium revocavit: certe in Republica quo consilio de lyricis poetis dictum esse putemus, vix intellegitur, ut ne Plato quidem in Reipublicae tertio de eis verba fecit; in Hortensio autem varia poeseos genera perstricta esse docet frg. 38/48 (Non. p. 396, 23), quod est de tragoediarum scriptoribus

> *qua re velim dari mihi, Luculle, iubeas indicem tragicorum, ut sumam, qui forte mihi desunt*[1].

denique teste Donato de comoedia pag. 8, 6 Reiff.

> *comoediam esse Cicero* (sive Catulus apud Ciceronem) *ait imitationem vitae, speculum consuetudinis*[2], *imaginem veritatis.*

nam quod ea verba referri solent ad Reipublicae librum IV, ibi omnem disputationem contra poesim directam esse recte monuit Usenerus[3]. quod autem vir doctissimus hoc fragmento (82/89 ap. Non. p. 240, 31)

> *. . . quod alterius ingenium sic ut acetum Aegyptium, alterius sic acre ut mel Hymettium dicimus*

comicos poetas inter se comparari coniecit, de eius fragmenti sententia nos neque hoc affirmare audemus neque aliud quidquam. tamen quam recte in priore eius particula editores plerique post voculam *sic* adiectivum aliquod inserendum esse putaverint[4], dubitamus. potuit enim, si recte sentimus, comparatio, quorumcumque fuit, ita institui, ut utriusque ingenium acre diceretur, sed alterius vere acre, alterius temperatum. nam acetum dulce

---

[1] *si qui* coni. Orellius, *desint* L. Muellerus, neutrum, puto, necessario.

[2] cf. Livius Andron. ap. Don. ibid. p. 8, 14.

[3] cf. de re publ IV 12, 14.

[4] *dulce* Sigonius *acidum* Halmius actt. acad. Monac. a. 1862 vol. II p. 39 *mite* Usenerus *sic acre ut ac. Aeg., alt. sic ut mel Hym. dulce dicimus* Quicheratus.

vel mite usquam laudari non invenio; immo ut teste Athenaeo II p. 67 c *κάλλιστον ὄξος εἶναί φησι Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος τό τε Αἰγύπτιον καὶ τὸ Κνίδιον*, ita Cato de re rust. 104, 2 acerrimum acetum dicit pulcherrimum; mel autem voluisse veteres esse 'ex dulci acre' probant loci ab Usenero congesti. itaque oxymoron, ut ita dicam, in posteriore tantum sententiae parte inesse arbitramur; et de ea tantum Augustinus scribit de beata vita 2, 14

> *nescio quo modo contortum hoc et aculeatum quod posuisti, ut ait ille de melle Hymettio: acriter dulce est nihilque inflat viscera.*

scilicet Ciceronis haec esse suspicamur et posita, ut sententiae illius aculeus patefieret.

Sed pergimus. Usenerus quod ea, quae ad comoediam pertinere iudicavit, extremo huius orationis loco collocavit, id consulto atque recte fecisse videtur. etenim si cum illis comoediae laudibus confertur locus qui est de orat. II 9, 36, ubi historia dicitur 'testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis', facile conicitur, qua ratione transitus factus sit a poesi ad historiam. quae suspicio confirmatur his, quae ex Luculli oratione excerpta esse apertum est: frg. 13/26 (Non. p. 275, 31)

> *unde autem facilius quam ex annalium monumentis aut bellicae res aut omnis rei publicae disciplina cognoscitur?*

frg. 14/27 (Non. p. 315, 21)

> *unde aut ad agendum aut ad dicendum copia depromi maior gravissimorum exemplorum quasi incorruptorum testimoniorum potest?*

verum non solum utilitatem in his rebus quaesitam esse, sed etiam delectationem, docet frg. 12/25, quod ex Nonio p. 315, 27. 241, 12. 343, 10 recte sic composuit Petrus Victorius[1]

> *quid enim aut Herodoto dulcius aut Thucydide gravius aut Philisto brevius aut Theopompo acrius aut Ephoro mitius inveniri potest?*

hic praestantissimorum rerum scriptorum delectus quid commune

---

[1] Var. et ant. lect. lib. X cap. 10.

habeat cum similibus aliorum auctorum locis et ex quo fonte videatur ductus esse, docuit Usenerus. qui de hoc quidem libro operam suam in oratione illa, quae fuit de historia, voluit subsistere. neque vero exhausisse eam videtur vir doctissimus. in libro enim de legibus primo, postquam eo devenit sermo, ut alias Cicero profiteatur in historia leges observandas esse, alias in poemate, Atticus (2, 5) *teneo* inquit *quam optabam occasionem neque omittam . . . postulatur a te iam diu . . . historia. . . . atque ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus . . . deest enim historia litteris nostris . . . quam ob rem adgredere, quaesumus, et sume ad hanc rem tempus . . .'* iam cum eis Attici verbis velim conferantur frgg. 52/61 (Non. p. 118, 24)

> *quare adgredere, quaeso, et gratificare rei publicae*[1]

et 36/46: elucebit, puto, similem in Hortensio atque in Legibus fuisse adhortationem; ad quam quibus respondit Cicero verbis, ex eis excerptum esse apparet frg. 36/46 (Non. p. 204, 4)

> *tu me et alias nonnumquam et paulo ante adhortatus es, aliorum facta et eventa conquirerem.*

ubi quod cum aliqua vi pronomen *aliorum* in principio enuntiati secundarii collocatum est, hoc fere Ciceronem dixisse arbitramur, se sua potius facta scripturum esse quam aliorum, scilicet consulatus sui commentarium compositurum; id quod fecit anno 694 ineunte[2]. accedit, quod de variis Ciceronis studiis disputatum esse apparet ex fragmento 47/14.

Sed priusquam de hoc fragmento quae nuper prolata sunt recensemus, pauca dicenda sunt de fragmento 36/46 constituendo. quod enim recentiores editores nescio quo auctore post *aliorum*

---

1 Krischius Stud. Gotting. a. 1845 part. II p. 153 hoc frg. ita intellegere videtur quidem, ut verba sint Ciceronis sub finem dialogi Hortensium adhortantis, ut ad suam de philosophiae sententiam accedat. quo facto quid is gratificaturus fuerit rei publicae, in obscuro relinquit.

2 ad Att. I 19, 10. 20, 6. II 1, 1.

inserunt *ut*, id temere fieri nobis quidem persuasum est. Terentius enim scripsit Eun. v 583 *adhortor properent*, Caesar bell. civ. I 21, 4 *hortatur . . caveant*, Livius VI 15, 10 *quid ego vos de vestro impendatis hortor?* et sic sine particula vel in maiore enuntiato idem paulo supra *ut contra te*, *M. Manli, adhorter liberes fenore plebem Romanam* et Caesar bell. Gall. VI 33, 5 *hortatur, si rei publicae commodo facere possint, ad eum diem revertantur.* sic illi: quidni Cicero? nam. si quidem Mergueto fidem habere licet, adhortandi verbum apud eum nisi hoc loco nusquam invenitur ita positum, ut inde pendeat enuntiatum[1]. atque omnino difficillimum est statuere, quid hic vel ille auctor non potuerit dicere, videturque nobis ab iis, qui in talibus rebus computando leges rogant easque leges interpolando ratas reddunt, quaerenda esse ratio, cur ne semel quidem aliter conformare potuerit sententiam is qui scripsit ac bis conformavit vel ter. atque in hac quidem causa apertum est, si desit particula, maiore cum vi efferri sententiam pendentem ac prope non pendere, sed per se stare. eadem ratione post suadendi verbum, quod illi est affine, particula hic illic omittitur, velut apud Plautum Asin. 644, Corn. Nep. Con. 4, 1, Cic. ad fam. VII 7, 1 *essedum aliquod capias suadeo.* idem Cicero scripsit in Catil. I 9, 20 *eos hoc moneo, desinant furere.*[2] denique, quoniam in has quaestiones delati sumus, liceat adnotare, apud Terentium in Adelphis quod post implorandi verbum v. 489 particulam desiderans gravius distinguendam orationem iudicavit Rothius,[3] id nobis non probari: nam de sententia quod dubitavit, nobis Hegio tamquam interpretari videtur Pamphilae verba quae audita sunt v. 487; cui opinioni favet Donatus ad 3, 4, 43.

Sed ab his minutiis ut redeamus ad ampliora, Lactantius div. instit. VI 2, 15 sic scribit (frg. 47/14)

---

1 Philipp. I 9, 22 codicum pars exhibet *adhortari adulescentes, ut turbulenti . . . cives velint esse*, ceteri *hortari*; et sic hodie editur.

2 De curandi verbo egerunt Lachmannus comment. Lucret. pag. 362 et C. F. W. Muellerus in adnot. crit. ad Cic. Acad. pr. II 22, 71.

3 Quaestt. gramm. diss. inaug. Berol. 1876 pag. 14 adn.

apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus praeferens malle se dicit vel unum parvum de officio libellum quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio.

quibus Catuli verbis qui 'aculeus praefixus sit', Usenerus explicavit. significatur enim ea oratio, qua anno 689 Cicero quadriduo defendit C. Cornelium maiestatis reum; in quem testimonia dixerunt cum alii principes civitatis tum Q. Hortensius Q. Catulus, denique M. Lucullus Lucii frater[1]. dixerunt autem *vidisse se cum Cornelius in tribunatu codicem* [cum praeconem pronuntiare Servilius Globulus tr. pl. passus non esset] *pro rostris ipse recitaret, quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur. volebant videri se iudicare eam rem magnopere ad crimen imminutae maiestatis tribuniciae pertinere; etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur.* ipsi igitur Ciceroni, ut scribit Usenerus, Catulus exprobrat, quod dicit plus utilitatis rem publicam capturam fuisse, si 'unum parvum de officio [scil. tribuni plebis] libellum scripsisset, quam longa oratione nuperrime pro Cornelio habita'.[2] verum iam oritur quaedam difficultas. Lactantius enim Catulum illa testatur dixisse 'philosophiam rebus omnibus praeferentem', quae sic interpretatus est Usenerus, ut in ea dialogi parte verba illa posita fuisse statueret, ubi Catulus philosophiae causam agebat. at tribuni plebis officium scribendo exponere non erat philosophi, sed iure consulti, ut et Cincius et Ulpianus, quibus exemplis utitur ille v. d., et Ateius Capito, qui scripsit de officio senatorio[3], iuris consulti fuerunt[4]. itaque in ipsis illis verbis, quae affert Lactantius, nihil inest, quod ad philosophiae laudes pertineat. ex eis angustiis

[1] Asconius pag. 53, 10 ed. Kiessl. et Schoell.

[2] De sermonis genere cf. de or. I 44, 195 *bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus . . . superare* Bruti 73, 256 *malim mihi L. Crassi unam pro M'. Curio dictionem quam castellanos triumphos duo.*

[3] Gell. noct. Att. IV 10, 7.

[4] cf. etiam Cic. de leg. III 20, 48 *plerosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere quantum apparitores velint.*

nescio an facillime nos expediamus, si Lactantium erravisse putemus. id quod profecto facillime potuit fieri: ipsum enim Hortensium hoc loco inspexisse Lactantium non est quod credamus; meminerat verba illa, simul meminerat, Catuli esse quandam in Hortensio philosophiae laudationem: inde natus ille error. accedere potuit, quod non tam separatim quam in transcursu de iuris peritia actum est, cum Luculli verbis, quibus Ciceronem ad historiam conscribendam hortabatur, sermo in varia eius studia delatus esset. et ab eis, quae Lactantius affert, Catuli verbis facile transitus parari poterat ad laudes eloquentiae.

Sed paucis liceat deflectere a recta via, ut Useneri illud inventum tamquam spicilegii causa sequentes aliquid afferamus, quo ei rursus maior fiat fides. videtur enim in Lucullo, cuius dialogi tempus idem fere esse patet atque Hortensii, compluribus locis eadem illa causa Corneliana per iocum significari. velut Lucullus Ciceronem nomine appellans (5, 13) *primum* inquit *mihi videmini, cum veteres physicos appellatis, facere idem quod seditiosi cives solent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur.*[1] et ita egisse Tullium in Corneliana altera apparet ex verbis eius, quae servata sunt in excerptis ex Grillio apud Halmium rhet. Lat. min. p. 598, 33[2], his *hic mos iam apud illos antiquos et barbatos fuit, ut persequerentur populares.* pergit Lucullus enumerans tales viros: P. Valerium C. Flaminium L. Cassium Q. Pompeium P. Africanum P. Crassum P. Scaevolam Ti. Gracchum C. Marium, quibus paulo infra addit Saturninum (§ 14). ex quibus in orationum Cornelianarum fragmentis mentio fit L. Cassii[3] P. Africani[4] Ti. Gracchi[5] L. Saturnini[5]. in eodem dialogo 19, 62

[1] Respondet ad haec Cicero 23, 72.

[2] orat. Cornel. II frg. 18 Kays. 4 Muell.

[3] I frg. 26 Kays. 50 Muell. Ascon. p. 69, 10.

[4] I frg. 12 Kays. 25 Muell. Ascon. p. 61, 14.

[5] II frg. 4 Kays. 5 Muell. Ascon. p. 71, 14 *non dicam . . L. Saturnini, non Gai Gracchi, non Tiberi, neminem quem isti seditiosum existimant nominabo.*

Lucullus quaerit ex Cicerone sic *an tu, cum res occultissimas aperueris ... iuratusque dixeris ea te comperisse (quod mihi quoque licebat, qui ex te illa cognoveram), negabis esse rem ullam, quae cognosci comprendi percipi possit?* haec fortasse non tam ad Cornelianam causam spectant quam ad Catilinariam, praesertim si cum paragrapho insequenti recte conferuntur quae Cicero scribit ad Att. I 14, 5. contra quae 47, 144 leguntur *quid me igitur, Luculle, in invidiam et tamquam in contionem vocas et quidem, ut seditiosi tribuni solent, occludi tabernas iubes? quo enim spectat illud, cum artificia tolli quereris a nobis, nisi ut opifices concitentur? qui si undique convenerint, facile contra vos incitabuntur* — ea aptissime, opinor, conferuntur cum eis, quae Asconius pag. 52, 18 narrat *circumventi sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus* et paulo infra *Manilius, qui iudicium per operarum ⟨duces tur⟩baverat.* his igitur locis inter se collatis et quam recte Usenerus illa de Hortensii fragmento 47/14 statuerit apparebit et aliquid accedet fructus ad Luculli interpretationem.

Sed ut redeat unde egressa est oratio, eloquentiam laudavit Hortensius, atque ita quidem, ut videretur eam in caelum sustulisse, ut dixit is, cuius verba sunt frg. 35/45. de ea arte uberior videtur fuisse disputatio, quippe quae processerit ad eloquentiae genera inter se comparanda. eo enim pertinet frg. 8/22 (Non. p. 337 sq.)

> ... *hunc Crassum, qui lentius, ut scitis, dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse*

spectant ea verba ad M. Licinium Crassum Divitem, Hortensii aequalem[1], de quo Cicero in Bruto (66, 233) haec *in huius oratione sermo Latinus erat, verba non abiecta, res compositae diligenter, nullus flos tamen neque lumen ullum: animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur.* idem enim vitium significatur vocabulo *lentius*, qua de re conferatur Cicero ibidem 48, 178

[1] Cic. Brut. 65, 233.

Iuventius, nimis quidem ille lentus in dicendo et paene frigidus. Hortensii autem genus dicendi minime lentum ac frigidum fuisse satis constat, ita ut iure illa ad eius orationem rettulerit Schneiderus.

Cum eloquentiae laudibus num coniunxerit Hortensius philosophiae detrectationem, id quod statuit Usenerus nescio qua de causa, dubito. ratio certe harum orationum, quibus diversa studia laudata esse exposuimus, postulare videtur, ut obtrectationem antecesserit laudatio. quam a Catulo institutam esse efficitur fragmento 19/14. eis laudibus lacessitum conicio Hortensium in philosophiam invectum esse. atque ita conformata fuisse videtur ea dialogi pars, ut utrarumque partium argumenta mutua se exciperent. ita fit, ut, qua via progressa sit disputatio, difficillimum sit statuere. quaedam tamen aliqua fortasse cum probalitate poterunt affirmari. etenim si respicimus ea quae supra de historia dicta sunt et quae similia eis de poetis et de oratoribus dicta esse putamus, et si eos, qui talibus de rebus disputant, solere reputamus primo universe sapientiam suam laudibus efferre, donec ab adversario argumentis eas fulcire cogantur, hoc intellegimus veri esse simillimum, Catulum quantum ipse philosophiae studio delectaretur professum reliquosque ut et ipsi se ei dederent adhortatum esse. ex eis verbis superest frg. 35/45 (Non. p. 385, 31)

> ... *eloquentia tueri, quam tu in caelum, Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul ascenderes, sustulisse ..*

de cuius supplemento quam incerti sumus, tamen malimus aut cum Aldo *sustulisses* aut cum Luciano Muellero *sustulisti* scribere quam cum Baitero et Usenero *sustulisse ⟨videris⟩*.

Adhortationi illi quo modo adversatus sit Hortensius, intellegitur ex fragmento 18/31 (Non. p. 383, 21)

> *quaero enim non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem ac remittam.*

itaque eadem usus est excusatione, qua Crassus apud Ciceronem de orat. II 5, 22 *otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio.* ad eandem disputationem pertinere frg. 81/88, de quo iam supra pag. 25 egimus, conieceris ex eo loco, qui verba

modo allata subsequitur *saepe ex socero meo audivi, cum is diceret socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari eosque incredibiliter repuerascere solitos . . ., conchas eos et umbilicos . . . legere consuesse et ad omnem animi remissionem ludumque descendere.* verum id incertum.

Adhibendam autem esse maximam animi contentionem in legendis philosophorum libris ut affirmat Antonius apud Ciceronem de orat. II 14, 61[1] *in philosophos vestros si quando incidi . . ., verbum prorsus nullum intellego, ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati*, ita contendit Hortensius fragmento 16/29 (Non. p. 264, 14)

magna etiam animi contentio adhibenda est ⟨in⟩ explicando Aristotele si leges

ubi recte iam Hadrianus Iunius post *est* inseruit *in;* nam quod Orellius edidit *explicando Aristoteli*, id parum probatur, cum lexica doceant, nec nomina propria nec gerundiva dativo casu poni solere post adhibendi verbum. sed praeterea offendimur verbis *si leges* sive, ut pars librorum exhibent, *si legas*, quae, si enuntiatum terminare putantur, satis otiosa sunt. cum, si quid desideratur, supplementum excogitare non possimus nisi librorum quorundam Aristoteleorum indices, ac ne tum quidem aut oratio satis proba sit aut sententia. quidni sic scribimus et distinguimus *magna etiam animi contentio adhibenda est ⟨in⟩ explicando, Aristotele⟨m⟩ si leges*, ita ut aliorum philosophorum nomina secuta esse putemus.

Vehementissime autem 'pseudomenus et soritam et totam dialecticam' aut illusisse Hortensium aut increpavisse apparet ex fragmento 45/55. ex qua particula orationis primum afferimus frg. 17/30, quod sic traditum est apud Nonium p. 81, 28

. . . se ad extremum pollicetur prolaturum, quae se ipsa comest, quod efficit dialecticorum ratio.

quae ab initio manca esse apparet; nam si cum quibusdam editoribus pro priori *se* scribitur *sed*, desideratur pronomen; praeterea quo illud *quae* referendum sit, perspicuum non est. quod

[1] cf. Cic. top. 1, 2.

desiderium explere conatus est novissimus Nonii editor, cum sic refingeret locum *se ad extremum pollicetur probaturum. quod efficit dialecticorum ratio, quae se ipsa comest.* quae coniectura, si exceperis illud *probaturum*, quo quid lucremur non video, habet sane aliquid speciosi, praesertim si comparantur quae illi videntur in mente fuisse ex libro de oratore II 38, 158 *dialectici . . . ad extremum se ipsi compungunt suis acuminibus et multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae iam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa et potius detexta prope retexantur.* sed hac translatione multo audaciorem esse illam, quam effecit Muellerus, apparet. itaque cautius certe egit cognominis illi Tullii editor, qui satis habuit verbis *quae se ipsa comest* crucem praefigere; quamquam cur ea potissimum verba corrupta esse iudicarentur nihil erat. tamen obscura sunt. verum hanc obscuritatem simulque crucem istam nobis videmur posse removere, auxilio usi Augustini vel potius Iuliani Pelagiani. qui cum Augustini doctrinas per litteras impugnasset, respondit ille libris sex, multas eius sententias, plane ut antea Celsi Origenes, afferens. in eorum librorum tertio[1] haec leguntur *non igitur sum pharmacopolae similis, ut dicis, qui promittebat bestiam, quae se ipsam comesset. . . non enim, ut calumniaris, ego dixi nuptias et magnum bonum et magnum malum, tamquam eo modo ipsa se comedat ista sententia.* agi de dialectica quadam argumentatione, et ex verbis quae exscripsimus apparet et intelleget si quis Augustinum ipsum inspiciet. talem igitur sententiam, quae diversa inter se et pugnantia contineret, comparavit Iulianus cum bestia quadam, quae se ipsa comesset, eum qui illam proferret, cum pharmacopola istam bestiam promittente[2], non suo usus ille ioco, sed proverbio; prorsus eodem enim modo Hortensium egisse apparet. cuius in verbis vide quam egregie illud *ad extremum* conveniat pharmacopolae artificiorum suorum

[1] 21, 47. August. vol. X pag. 726 Mign.

[2] Plura ille scripserat eius generis. velut Augustini quandam sententiam dixerat 'cimicem, qui ut molestiam vivus, sic foetorem praestaret attritus' (August. c. Iul. Pelag. IV 9, 55); quod paroemiographis commendamus.

praecipuum indicenti. de sententia conferas praeterea Ciceronem Lucullo 48, 147, ubi soritem et pseudomenum plagas dicit, quas ipsi contra se Stoici texuerint. sed illa bestia quid sibi velit, docent Lucilius apud Nonium p. 220, 3 (v. 1042 Lachm.) *comedent iam eadem haec se, ut polypus, ipsa* et Aristoteles hist. anim. VIII 2 p. 591 a 4 *ὃ δὲ λέγουσί τινες ὡς αὑτὸν [ὁ πολύπους] αὑτὸν ἐσθίει, ψεῦδός ἐστιν· ἀλλ' ἀπεδηδεμένας ἔχουσιν ἔνιοι τὰς πλεκτάνας ὑπὸ τῶν γόγγρων*, quibuscum conferatur Antigonus histor. mirab. 21 (25)[1] *ὁ δὲ πολύπους ἐν τῷ χειμῶνι τὰς πλεκτάνας αὑτοῦ κατεσθίει. τοῦτ' ἔστιν 'ἤματι χειμερίῳ, ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τέμνει'*[2]. similem comparationem ab alia bestia petitam habet Marius Mercator[3] *sed vides nempe, quo modo te ipsum, in dictis tuis contrarius tibi, tamquam vipera lanias.* nam quod ex Alcaeo comico haec laudat Athenaeus VII pag. 316 c[4] *ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πουλύπους*, ea propius accedere videntur ad translationem iam Homero[5] usitatam, qua Plautus Truculento v. 593 hominem tristem dicit se ipsum comedere.

Dialecticum igitur aliquem ab Hortensio fictum esse putamus artem suam ostentantem. quae ostentatio admodum vivide et paene scaenica ratione depicta est, si modo recte huc referimus frg. 54/63 (Non. p. 253, 24)

> *captum me fortasse, inquit, putas et id, quod nollem, confiteri coactum*

quae Patricius quoque de pseudomeno intellexit.

Ad artem dialecticam pertinet praeterea frg. 94/99, quod ex Augustini principiis dialecticae cap. 9 attulit et emendavit Crecelius Iahnii annal. vol. LXXV pag. 79 sq.

> — *apud Ciceronem calumniatur Hortensius hoc modo: ambigua se audere aiunt explicare dilucide; iidem omme verbum*

---

1 Rerum natural. script. ed. Keller. p. 7, 18.

2 Hesiodus Op. v. 524, ubi legitur τένδει.

3 Lib. subnotationum in verba Iuliani (tom. XLVIII Mign.) 7, 1.

4 Fragm. com. Graec. ed. Meinek. II p. 832.

5 Il. I 243. VI 202 (cf. Cic. Tusc. disp. III 26, 63). XXIV 129. Od. IX 75. X 143. 379.

> *ambiguum esse dicunt. quo modo igitur ambigua ambiguis explicabunt? nam hoc est in tenebras exstinctum lumen inferre.*

dictum autem est maxime in Stoicos; Chrysippus enim aiebat omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem vel duo vel plura accipi possent[1]. iidem ut ait Augustinus l. l. cap. 6 'haec quasi cunabula verborum esse crediderunt, ut sensus rerum cum sonorum sensu concordarent'. denique de iisdem idem. l. l. haec *Stoici autumant, quos Cicero in hac re ut Cicero inridet, nullum esse verbum cuius non certa explicari origo possit.* quam ob rem, cum ambigua se explicare posse profiterentur neque ullum verbum haberent nisi ambiguum, diserte certe Hortensius eos dixit in tenebras exstinctum lumen inferre[2]. quod argumentum fortasse significat Augustinus eo loco, quem modo exscripsimus. ubi maluimus librorum scripturam quamvis vitiosam exprimere quam pro altero illo *Cicero* aut cum Halmio[3] *ineptos* aut cum Hauptio[4] *cerritos* ponere. sed quod Crecelius[5] Augustino obversatum esse coniecit libri de gloria I fragmentum, quod servavit Festus pag. 202, 25 M., eam opinionem non satis firmam esse recte monuit Hauptius[4]. ne nos quidem de illo loco quidquam pro certo affirmamus; tamen similia certe in Hortensio exstiterunt. quae qui contra dixit eadem fortasse ratione solvit qua Augustinus[6] *quod dictum est omne verbum ambiguum esse, de singulis verbis dictum est. explicantur ambigua disputando et nemo utique verbis singulis disputat. nemo igitur ambigua verba verbis ambiguis explicabit.*

Denique hoc loco inserendum est frg. 95/100 (Augustin. contra Academicos III 14, 31)

---

1 Gell. noct. Att. XI 12, 1.

2 Contrariam quodam modo comparationem habet Seneca epist. XIV 4 (92), 5.

3 Act. acad. Monac. a. 1862 vol. II p. 53.

4 Opusc. II 365.

5 Progr. gymn. Elberfeld. a. 1857 pag. 9.

6 Dial. princ. cap. 9.

certe in Hortensio legistis: si igitur nec certi est quidquam nec opinari sapientis est, nihil umquam sapiens approbabit.

Ciceronis orationi continuae cum Krischio[1] et Hartlichio[2] tribui id fragmentum vetat eius orationis ratio, quam suo loco exponemus. interim concedetur, opinor, aptissimam esse hanc argumentationem Hortensio[3] simillimamque ei quam modo tractavimus. Academicorum enim doctrina ut irrideatur, breviter inter se componuntur duo eorum placita efficiturque inde quod absurdum possit dici. quod si quis talia Hortensium proferre potuisse neget, quippe quae accuratiorem philosophiae scientiam prodant, neque id verum est — immo paene trivialia sunt illa — et Hortensius quamquam ἄτριπτος in illis rebus, tamen non ἀπαίδευτος erat[4].

Facetissime ad ea iurgia respondit sive Cicero sive Catulus, cum quantum ad ipsius artem valeret dialectica, Hortensium admoneret. ad eam enim responsionem referenda esse apparet frgg. 45/55 (Non. p. 329, 19)

tum pseudomenus[5] *et soritam et totam dialecticam aut illudis aut increpas*

ubi quod scriberetur *tu* aut *tun'* aut *tune* nihil erat, et 46/56 (Non. p. 364, 22)

---

[1] Stud. Gotting. a. 1845 part. II p. 154 adn. 1.

[2] Stud. Lips. XI 296 adn. 1.

[3] Idem sensit Dielsius *Archiv für Gesch. d. Philos.* I 488, quem de toto hoc loco conferas.

[4] Cic. ad Att. XIII 16, 1.

[5] Sic codices Nonii, ubi L. Muellerus adnotat *non credo servandam lectionem traditam, ut sit accusandi casus, sicut* philosophus *dixit Lucilius* [significat v. 684 Lachm.] adytus *Accius* [v. 624 Ribb.; adde *atomus* Lucilii v. 687 Lachm. *syrus* Varronis ex Marcipore ap. Non. p. 46, 8]. *nam statim Latine Cicero* soritam. at idem de divin. II 4, 11 *quo modo autem mentientem, quem ψευδόμενον vocant, dissolvas aut quem ad modum soriti resistas — quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est: ut enim ipsa philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est —.* itaque vereor ne ψευδομένους litteris Graecis scribendum sit. plurativum numerum posuit etiam Plutarchus de recta ratione audiendi p. 43 C.

quis te aut est aut fuit umquam in partiundis rebus, in definiendis, in explicandis pressior?

quod fragmentum congruit cum eo, quod Tullius in Oratore 3, 12 fatetur se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse. qua de sententia hoc quoque loco plura disputata esse conieceris.

Ut ipse dialectica uti dictus est Hortensius, ita teste Lactantio instit. divin. III 16, 9 (frg. 19/12) 'circumventus est arguta conclusione, quod, cum diceret philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videbatur, quoniam philosophi est, quid in vita faciendum vel non faciendum sit, disputare'. eandem conclusionem fuisse in Aristotelis Protreptico multumque exinde in scholis dialecticorum et rhetorum tractatam esse docent testimonia a Rosio[1] congesta, quibus addiderunt Bernaysius[2] Quintilianum instit. orat. V 10, 70, Dielsius[3] Clementem Alexandrinum Stromat. VI 18 p. 825 P., nos addimus scholiastam Sangallensem ad Ciceronis divinationem vol. V part. 2 pag. 107, 5 ed. Orell., qui cum verbis quae sunt in oratione illa (6, 21) *etiamsi tacent, satis dicunt* cum alia confert tum hoc *philosophandum est, etiamsi non philosophandum*[4].

Argumento illi, ut est argutissimum, Hortensius videtur repugnasse; quare adversarius instituit ei demonstrare, fieri non posse ut aliquis singulis propositionibus probatis inde quod effectum esset non probaret. qua in re et exemplo quodam usus est ex rei familiaris administratione petito et quae esset talium conclusionum ratio exposuit: frg. 50/59 (Non. p. 193, 9)

quid? tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex his confecta sit, non probare?

frg. 49/58 (Non. p. 271, 30)

---

[1] Aristot. fragm. 51 ed. a. 1886.

[2] de dial. Aristot. pag. 119.

[3] *Archiv f. Gesch. d. Philos.* I 487.

[4] Hartlichius l. l. pag. 239 vix recte confert Cic. ad Att. I 16, 13.

aut tibi id ipsum pervertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem, aut eius partes quasi membra quaedam caedenda.

quod caedenda dicuntur membra, intellegendae sunt propositiones vel conclusionis partes, *id ipsum* esse videtur interius quoddam vinculum, quo singulae illae partes inter se contineantur. huc enim refero frg. 42/52 (Non p. 235, 18)

altera est nexa cum superiore et inde apta atque pendens

quod ita intellegi posse docent verba Ciceronis de fin. IV 19, 53 *ut enim sit apud illos . . . ordo rerum conservatus et omnia inter se apta et conexa . . ., tamen persequi non debemus si a falsis principiis profecta congruunt ipsa sibi et a proposito non aberrant.* luculentius rem exponit Boethius philos. consol. IV pr. 4 v. 32 Peip. *qui conclusioni accedere durum putat, aequum est vel falsum aliquid praecessisse demonstret vel collationem propositionum non esse efficacem necessariae conclusionis ostendat.* quamquam frg. illud per se aliam quoque continere potest sententiam; velut Krischius[1] contulit de nat. deor. I 4, 9, ubi de partibus philosophiae haec scripta legimus *est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur.* sed sic quo minus intellegamus obstare videtur illud *altera*, unde de duabus tantum rebus agi elucet. idem cadat in eam sententiam, si quis dicat significari definitionem fati, quod a Stoicis definiebatur 'ordo seriesque causarum, cum causae causa nexa rem ex se gigneret'[2]. accedit, quod proferendae istius definitionis occasio unde peti potuerit, prorsus nos latet. itaque putamus edoceri illis verbis Hortensium de conclusionum vi et natura. id quod, ut multa in hac sermonis particula, admodum festive institutum est; nec minus quod Hortensii adversarius dixit (frg 51/60 ap. Non. p. 170, 28)

[1] Stud. Gotting. a. 1845 part. II pag. 153.

[2] de divin. I 55, 125. cf. de fato 15, 34. Boeth. phil. cons. IV pr. 6 v. 82 Peip.

itaque tibi concedo quod in XII scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati paenitet.

eandem comparationem in Hipparcho Platonico p. 229 E adhiberi recte monuit Muretus[1].

Sed hoc loco illam conclusiunculam maluimus inserere quam cum Hartlichio[2] in extrema parte dialogica, et quod prope accedit ad ea quae proxime ante tractavimus, et quia magis accommodata videbatur ad captiosum illud genus disputandi, quod in priore huius disputationis parte obtinuisse coniecimus, ubi Catulum Academicis armis contra Hortensium pugnavisse haud improbabiliter coniecit Dielsius[3]. ubi gravior fieri coeperat disputatio, Ciceronem primas inter defensores partes egisse arbitramur. simul iam non tam argutis brevibusque sententiis, quam amplioribus orationibus pugnatum esse veri simile est; itaque haud absone cum Hartlichio ad hanc partem rettuleris frg. 15/28 (Non. p. 30, 26)

perge quaeso, nec enim imperite exorsus es.

sunt enim, ni fallor, verba Ciceronis Hortensium urbane laudantis et adhortantis; quae locum habuisse haud procul ab initio orationis alicuius et ipsa produnt, et probatur consuetudine Tulliana, qua talia posuit velut de orat. II 8, 31 de re publ. II 11, 22 de leg. I 7, 22.

Illa autem disputationis pars, qua non tam conclusiunculis et cavillationibus lusum est quam pugnatum argumentis ex ipsa re petitis, quo modo videatur composita fuisse iam exponendum est. atque proficisci quidem iuvabit a fragmento 20/32. Lactantius enim divin. institut. III 16, 12 sic scribit

praeterea illud quoque argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius, ex eo posse intellegi philosophiam non esse sapientiam, quod principium et origo eius appareat. quando inquit philosophi esse coeperunt?

[1] Variarum lectionum lib. II cap. 13. — cf. lexica de verbo ἀνατίθεσθαι.

[2] l. l. XI 294.

[3] *Arch. f. Gesch. d. Philos.* I 488.

Thales, ut opinor, primus. recens haec quidem aetas. ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis?

aperte respicitur philosophiae definitio a defensorum altero prolata. eundem oportet putemus dixisse, studium illud veri investigandi omnibus hominibus natura insitum esse: homines igitur, si non philosopharentur, contra naturam facere. ad id argumentum Hortensius eadem sententia respondit, quam ex Senecae Exhortationibus affert Lactantius paulo post illum Ciceronis locum *nondum sunt mille anni, ex quo initia sapientiae mota sunt*[1]. eadem argumentandi ratione post Ciceronem usi sunt Tacitus dialogo cap. 16 contra antiquorum oratorum nimiam laudem, in philosophos paganos Iustinus Martyr cohortat. ad Graecos cap. 12 *ἀναγκαῖον δὲ οἶμαι καὶ τοὺς χρόνους σκοπεῖν, καθ' οὓς οἱ καθ' ὑμᾶς γεγόνασι φιλόσοφοι, ὅπως γνῶτε ὅτι νέος σφόδρα καὶ βραχύς ἐστιν ὁ τούτους ὑμῖν ἐνεγκὼν χρόνος.* ex Cicerone ipso conferas de divin. I 39, 86 et praecipue Tusc. disp. V 2, 6. hoc enim loco Tullius, postquam philosophiam ut 'vitae ducem' laudavit, pergit sic *ac philosophia quidem tantum abest ut proinde ac de hominum est vita merita laudetur, ut a plerisque neglecta a multis etiam vituperetur . . . ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, philosophos arbitrantur.* (3, 7) *quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen esse confitemur recens.* insunt in his et argumentum illud, quod contra philosophiam in Hortensio prolatum esse vidimus, et eius refutatio: ostendit enim Cicero philosophiam urbes peperisse, dissipatos homines in societatem vitae convocasse, leges invenisse, magistram fuisse morum et disciplinae[2]. quamquam in fragmentis nullus invenitur locus, qui certo possit ad illam sententiam referri. nam frg. 21/33, quod tradit Non. p. 41, 31 sic

[1] Idem affert Lucretium V 336.

[2] cf. Tusc. disp. V 2, 5. I 25, 62. 26, 64. de or. I 3, 9. 9, 36.

id enim est sapientis, providere; ex quod sapientia est appellata prudentia

ut de philosophis antiquissimis temporibus vitam hominum excolentibus et regentibus intellegamus, non licet nobis persuaderi loco Senecae epist. XIV 2 (90), 5 *horum* [sapientium] *prudentia, ne quid deesset suis, providebat.* utroque profecto loco lusus, ut ita dicam, etymologicus exstat; sed cetera ratio potest certe diversa esse. facile enim quivis intellegit, potuisse Romanum hominem, si vellet ratione illa uti, prudentiam tot modis interpretari, quot significationibus ponere poterat providendi verbum. Seneca a curandi cogitatione profectus est, a perite atque caute agendi Cicero de leg. I 23, 60 . . . *exacuerit illam ut oculorum sic ingenii aciem ad bona seligenda et reicienda contraria, quae virtus ex providendo est appellata prudentia;* eadem significatio statuenda esse videtur in fragmento libri de re publica VI, quod servavit Nonius pag. 42, 3; denique eo loco, quem ibidem affert Nonius ex Catone maiore 21, 78, prudentia facultas est praevidendi et prospiciendi. neque igitur concedere possumus, recte Hartlichium[1] Legum illum locum composuisse cum Senecae illo, manetque in dubio utri eorum similius sit Hortensii illud fragmentum. nam vivendi magistram in Hortensio dictam laudatamque esse philosophiam ostendunt frgg. 31/41 (Non. p. 372, 10)

praecipiunt haec isti, sed facit nemo

et 39/49 (Non. p. 307, 5)

facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus.

Atque hoc quidem non improbabiliter, opinor, cum Sigonio tribuimus Catulo sive Ciceroni; illis verbis incusari 'philosophos ignava opera et philosopha sententia' recte adnotavit Mercerius. et ut philosophos, quae praeciperent, ipsos facere negavit Hortensius, ita multos homines non philosophos affirmavit idem praestare, quod illi sui proprium esse gloriarentur: frg. 34/44 (Non. p. 527, 30)

[1] l. l. pag. 290.

vidi in dolore podagrae nihilo illum vel omnium maximum Stoicorum, Posidonium, quam Nicomachum Tyrium hospitem meum fortiorem.

de Posidonio conferatur Tusc. disp. II 25, 61; Nicomachus ne quis fuerit quidem compertum habemus.

Aliud Hortensii argumentum tale fere fuisse arbitramur qualia scribit Lactantius divin. instit. III 14, 10 *magistram tu virtutis aut parentem vitae vocas* [philosophiam]? *ad quam si quis accesserit multo sit incertior necesse est quam prius fuerit. cuius enim virtutis? quae ipsa ubi sit, adhuc philosophi non expediunt. cuius vitae? cum ipsi doctores ante fuerint senectute ac morte confecti quam constituerint quo modo vivi deceat.* diversas enim diversarum sectarum sententias inter se collatas esse docet frg. 28/38 (Non. p 155, 13)

his contrarius Aristo Chius, praefractus ferreus: nihil bonum nisi quod rectum atque honestum est.

ubi cur cum Halmio[1] pro *est* scribatur *esset* non est; immo modus indicativus magis convenit brevitati loquendi et alacritati, qua et copula omissa est et dicendi verbum vel contendendi, quod ille non recte desiderabat. deinde hoc loco afferre liceat frg. 83/90 (Non. p. 390, 14 et 409, 17)

aliud ex silvis severum et triste

in quo quod est *aliud* spectat fortasse ad illam quam statuimus factam esse comparationem. neque abhorrent ab ea adiectiva *severum* et *triste;* tristitia quidem Stoicorum impugnatur de fin. IV 28, 79; de 'tristi ac severo philosopho' verba facit Lucilius v. 684 Lachm. quamquam quid sibi velint istae 'silvae', non intellegimus veremurque ne depravatum sit illud verbum; cuius vitii medelam nemo a nobis exquiret.

Ex alia parte ita philosophiam impugnavit Hortensius, ut placita quaedam quam absurda essent ostenderet. ex ea particula quae supersunt fragmenta ad omnes fere philosophorum disciplinas pertinent. quamquam aliquam partitionem instituisse

---

1 Act. acad. Monac. a. 1862 vol. II pag. 53.

Hortensium nobis veri non videtur simile; immo quocumque eum aut animi impetus aut opportunitas sermonis ferebat, eo invectus est. velut quae Lactantius refert divin. inst. I 7, 4 (frg. 30/40)

fortasse quaerat aliquis a nobis idem illud, quod apud Ciceronem quaerit Hortensius, si deus unus est, quae esse beata solitudo queat

ea similia sunt ludibriis, quibus homo Epicureus apud Ciceronem de nat. deor I 10, 24 in Stoicorum de dei vel mundi forma sententiam utitur. eosdem Stoicos irrisit de fato frg. 103 Muell. (ex Maximi Taurinensis tractatu contra paganos t. LVII p. 783 Mign.)

avia mea dicebat hoc quod Stoici[1], *fato omnia fieri, mater autem, mulier sapiens, non existimavit.*

et Stoicorum quidem *εἱμαρμένην* simillime impugnat Velleius apud Ciceronem de nat. deor. I 20, 55 *quanti autem haec philosophia aestimanda est, cui tamquam aniculis, et iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia?* matrem Hortensii Semproniam fuisse, ex Ciceronis Bruto 25, 95 adnotavit is, qui primus hunc locum attulit, Usenerus[2]; de avia nihil constat. haec autem quod illi opponitur, id fit cum contemptu eo, cui vetulae, ut sunt hodie, ita apud veteres obnoxiae erant.[3]

Epicureorum placitum tangitur fragmento 22/13 (Serv. ad Verg. Aen. I 331)[4]

QVO SVB CAELO aut sub qua parte caeli, aut secundum Epicureos dixit, qui plures volunt esse caelos, ut Cicero in Hortensio.

quod Ciceronis orationi continuae minus convenit, quippe qua non quid quisque philosophus de dis aut de caelo sensisset, sed quid de beata vita, expositum est, ut infra demonstrabitur. quamquam non ita accipienda sunt verba illa, ut aliam quandam de

---

1 Sic codex Veronensis teste Reifferscheidio comment. acad. Vindob. phil.-hist. vol. XLIX pag. 104: *hoc quod dicis* error inde ab editione Maximi principe propagatus. cet. cf de div. II 7, 19 de n. d. I 20, 55. 8, 18.

2 Mus. Rhen. XXVIII 391.

3 cf. Plato Theaet. p. 176 B Reip. I p. 350 E Cic. Tusc. disp. I 21, 48 al.

4 cf. Usenerus Epicureorum pag. 213.

caelorum numero sententiam defendisse putemus Hortensium; sed irrisit philosophos in talibus quaestionibus occupatos, plane ut Paetus vel Cicero, qui ad eum sic scripsit[1] *an tu id melius, qui etiam philosophum irriseris, cum ille si quis quid quaereret dixisset, coenam te quaerere a mane dixeris. ille baro te putabat quaesiturum, unum caelum esset an innumerabilia.*

Huc referimus etiam frg. 33/43 cum ea dubitatione, quacum par est locum manifeste corruptum. Nonius enim p. 337, 26 sub lemmate 'lautum: elegans, suave' haec affert ex Hortensio

> *quae est igitur philosophia Socrate? nec dubito quin quaecumque sit lautum ac victum elegantem magnifice neque minus quam deceret colere instituisse(n)t.*

ea enim certo efficiuntur ex codicibus, quorum varias scripturas videas apud editores. apparet duas afferri sententias, alteram enuntiatam per interrogationem, alteram illi particula *nec* subiunctam, eandemque mancam in fine. in hac verbum quod extremum est non potest pendere a dubitandi verbo; simul desideratur substantivum, cui appositum sit *lautum;* quod ingeniose ex illo *sit* proximique vocabuli terminatione effecit Mercerius ita ut *quaecumque vestitum lautum* scriberet; qua ratione simul unde penderet instituendi verbum ostendit, scilicet a verbo quodam, quod ipsum a dubitando penderet positumque esset tempore praeterito. illud autem *quaecumque* referendum esse apparet ad philosophiam; neque enim probo, quod Passerati vestigia secutus Luc. Muellerus pro philosophia substituit philosophos, cum illa defenderetur duobus pronominibus generis feminini. sed interrogationem illam ut refingeret, sic ille scripsit *quid isti igitur philosophi ad Socratem?*, quibus verbis Epicureos tangi adnotavit olimque fuisse addita velut haec *potuerit ab eis inter principes numerari philosophos.* speciose sane. sed illos aliquanto acerbius tangere consuetudo est Ciceroni; et videtur proba effici posse sententia sic *quae est igitur ⟨ista⟩ philosophia, Socrate?* Hortensii enim legere videmur verba invehentis in Socratem propter continentiam victus et habitum paene sordidum, affirmantisque plus profuisse hominibus quaecumque philosophia melius vitae consuluisset[1]. quae sententia vide quam bene conveniat homini omni luxuriae dedito et quam apte conformata sit ad oratoris ingenium impetus et acerbitatis plenum.

[1] ad famil. IX 26, 3

Ei fragmento quam inesse coniecimus sententiam, ut vituperata sit ea disciplina, quae omnem victus splendorem lautitiamque sperneret, eadem subesse videtur fragmento 67/75 (Non. p. 480, 17)

> *hi nostri amici verecundantur capti splendore virtutis*

quod de Stoicis maxime intellegendum esse colligimus ex his, quae in eosdem Epicuri patronus dicit de fin. I 13, 42 *id* [scil. summum bonum] *qui in una virtute ponunt et splendore nominis capti quid natura postulet non intellegunt, errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur.* quo cum loco conferantur qui sunt de fin. III 14, 45. IV 14, 37. V 24, 71, quibus locis omnibus agitur de Stoicis, qui virtutem ceteris rebus omnibus anteponebant et verecundabantur concedere, esse quaedam bona aut in corpore aut extra[2]. capiendi igitur verbum ad decipiendi significationem prope accedit, prorsus ut Tusc. disp. V 10, 30. convenit autem sententia illa Hortensio non minus quam frg. 33/43, de quo proxime supra egimus. neque quidquam nobis offensionis inesse videtur in ea re, quod Stoicos appellat suos amicos; per ironiam enim id fieri recte perspexit Patricius; quo de usu conferas, si tanti est, ad Att. I 13, 4. denique cur pro *hi* cum Luc. Muellero scribamus *hic*, aut quae sana efficiatur sententia, si cum eodem ponatur *nil*, nobis perspicuum non est.

Denique ex loco illo de fin. I 13, 42, quem paulo supra exscripsimus, haec suspicio oritur non vana, opinor, ut huic sermonis particulae tribuamus etiam frg. 75/82, quod Hortensii esse diserte testatur Augustinus; sic enim contra Iulianum haer. Pelag. defens. V 7, 29 disserit ex mente Iuliani

[1] Idem sensisse videtur Schneiderus progr. Tremesn. a. 1841 pag. 17.
[2] de fin. II 21, 68.

> . . . *nec cuiuscumque doctrinae opinionibus resistat* [homo] *naturalibus motibus, sed, sic ut ait Hortensius, tunc obsequatur naturae, cum sine magistro senserit, quid natura desideret.*

ex eodem fragmento licet conici, aut a philosophiae defensore sic dictum esse vivendum, ut naturam sequamur, aut, quod videtur probabilius, ab Hortensio ipso allatam esse eam sententiam.

Ad eandem Hortensii orationem quod viri quidam docti[1] rettulerunt frg. 32/42 (Lactant. div. inst. III 16, 5)

> *profecto inquit* [Cicero] *omnis istorum disputatio quamquam uberrimos fontes virtutis et scientiae continet, tamen collata cum eorum actis perfectisque rebus vereor ne non tantum videatur attulisse utilitatis negotiis hominum quantam oblectationem otiis*[2]

quocum conferantur quae leguntur de orat. III 15, 56 extr., eis non possumus assentiri. quid? qui irrisisset omnium sectarum placita, num eum putabimus tamen concessisse, uberrimos fontes virtutis et scientiae contineri philosophorum aut omnium aut quorundam disputatione? an veri est simile, eum, qui non solum irrisisset philosophos sed etiam increpuisset, cum ad finem orationis veniret, tantam subito induisse urbanitatem, ut in tali iudicio verendi verbum poneret? et si recte Hortensio tribuimus

[1] Patricius Dielsius *Arch. f. Gesch. d. Philos.* I p. 487 adn. 17 *(es ist wohl der Schlusstrumpf seiner Rede)* Hartlichius l. l. pag 296.

[2] Ea enim Brandtius docet in codicibus exarata esse nisi quod *utilitatis* non exstat nisi in libro Bononiensi; ubi etsi forsitan coniectura illatum sit, tamen admodum probabilis sit ista coniectura, cum desideretur certe aliquid, praecedant autem haec Lactantii verba *non ergo utilitatem ex philosophia sed oblectationem petunt.* — *otia* autem plurali numero posita noluerimus confidentius abiudicare ne a Cicerone quidem. nam et ex aliis auctoribus affertur pluralis, velut ex Quintiliano inst or. VI 2, 30 et ex Iustino VI 9, 6 (ubi nunc vix recte *vitia* eduntur, cf. § 2), et inveniuntur alia quoque vocabula numero insolito posita, velut *luta* ex Cicerone affert Nonius p. 212, 14, *gaudia* apud eundem non inveniuntur nisi in Catilinaria I 10, 26; cf. Neuius art. gramm. I 437. hoc Hortensii loco vereor ne propter orationis aequabilitatem pluralis numerus positus sit.

frgg. 18/31 et 16/29, qui tandem adeo mutavit ille sententiam, ut concederet id, quod supra negasset? denique Lactantium, si Hortensii essent illa verba, non putamus acerbissima haec verba additurum fuisse *vereri quidem non debuit* [Cicero], *cum verum diceret, sed quasi timeret ne proditi mysterii reus a philosophis citaretur, non est ausus confidenter pronuntiare quod fuit verum.* itaque Ciceroni certe is locus attribuendus est. qui si re vera ex Hortensio sumptus est, hoc licet inde colligi, non praefracte infitiatum esse Tullium illa quae Hortensius philosophis crimini dederat, sed in quibusdam rebus ei concessisse. unde potuit ita ad philosophiae defensionem deflectere orationem, ut, etiamsi male viverent quidam philosophi, tamen id non philosophiae culpa fieri diceret, sed hominum, ut Quintilianus instit. orat. II 16, 6 ad refellendos eos, qui propter scelestos quosdam oratores contra omnem eloquentiam disputarent, utitur similibus velut hoc *non fabricetur militi gladius: potest uti eodem ferro latro.* verum tamen animadvertendum est, ad hunc dialogum fragmentum illud non propter certum aliquod indicium relatum esse, sed ex Patricii coniectura. nec defuerunt in ea rei ambiguitate, qui aliter iudicarent. velut Angelus Maius libri de re publica I fragmentum deprehendisse sibi visus est. quae opinio habet sane quo commendetur. eiusdem enim libri lectionem redolet prior capitis illius Lactantiani (III 16) pars. nam quae leguntur § 2 *recteque Tullius civiles viros, qui rem publicam gubernent, qui urbes aut novas constituant aut constitutas aequitate tueantur, qui salutem libertatemque civium vel bonis legibus vel salubribus consiliis vel iudiciis gravibus conservent, philosophiae doctoribus praefert,*[1] — cum eis igitur possunt sane conferri ei loci, quos novissimus Lactantii editor attulit, de orat. I 8, 33 sq. 51, 219 de off. I capp. 43. 44. verum multo aptius conferri putamus ex libri de re publica I prooemio haec (2, 2) *nihil enim dicitur a philosophis, . . . quod ⟨non⟩ ab iis partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura descripta sunt. unde enim pietas aut*

[1] Hunc locum Hortensio tribuit Beierus ad Cic. de off. I 43, 153.

a quibus religio? ... nempe ab iis, qui haec disciplinis informata alia moribus confirmaverunt, sanxerunt autem alia legibus. (§ 3) ... *ergo ille civis, qui id cogit omnis imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam iis, qui illa disputant, ipsis est praeferendus doctoribus.* conferantur praeterea haec quae leguntur ante illa quae ex Lactantio exscripsimus *sapientia enim nisi in aliquo actu fuerit quo vim suam exerceat, inanis et falsa est* cum Ciceronis verbis de re publ. I 2, 2 *nec vero habere virtutem satis est quasi artem aliquam, nisi utare;* conferatur denique Lactantius l. l. § 3 *bonos enim facere oportet potius quam inclusos in angulis facienda praecipere* cum Cicerone l. l. § 2 *usus autem eius* [virtutis] *est ... earum ipsarum rerum, quos isti in angulis personant, reapse, non oratione, perfectio:* apparebit hausisse Lactantium ex prooemio illo Tulliano. itaque facere non possumus ut Hartlichio[1] concedamus ex Hortensio petita esse quae sunt apud Lactantium l. l. §§ 2—7, ne hoc quidem, quod ille posuit, plane ad eundem orationis finem pervenire Lactantium atque Hortensium; ille enim totam abiciendam esse iudicavit philosophiam, 'quia non studendum sapientiae', hic, ut infra demonstrabitur, sapientiae studendum esse concessit. sed ut redeamus ad verba illa Ciceronis a Lactantio l. l. § 5 allata, hanc habet difficultatem Maii illa coniectura, quod ex primi de re publica libri prooemio ea particula, qua inter se comparantur civiles viri et philosophi, integra ad nos pervenit (cap. 2). quam difficultatem si quis nolit ita tollere, ut Lactantium non ipsa Ciceronis verba exscripsisse statuat — id quod nos supra sumpsimus —, ei restat Nobbii coniectura, qua is non inscite verba illa posita fuisse coniecit in libri de re publica III prooemio et hausta esse ea lacuna, qua hiat liber rescriptus ante caput IV, cuius capitis initium similis sententiae partem praebet. qua re in quaestione de Hortensio instituenda dubitatio praestat; id quod monendum censemus etiam in editio-

[1] l. l. pag. 297.

nibus, in quibus nunc miro modo idem fragmentum et Hortensio tribui solet et adnecti Reipublicae primo.

Itaque si omittimus frg. 32/42, ex eis, quae ad Hortensii orationem respondit Cicero, pauca supersunt. velut philosophis male viventibus, quos attulerat ille, Tullius honestiores opposuit, in quibus eum fuisse arbitramur, de quo haec dicta sunt (frg. 57/66 ap. Non. p. 371, 21)

> *itaque nec in philosophia cuiquam cessit et vitae gravitate praestitit.*

ad eandem orationem simulque ad ea, quae Hortensius dixerat, spectare videntur, quae Augustinus scribit Confessionum III 4, 8[1] *sunt qui seducant per philosophiam magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos, et prope omnes, qui ex illis et supra temporibus tales erant, notantur in eo libro et demonstrantur.*

Eos, qui ad philosophiam non satis praeparati accederent, gravissime vituperavit Cicero; in eam enim sententiam dicta esse putamus cum Luc. Muellero haec (frg. 77/84 ap. Non. p. 438, 23)

> *et ceteras quidem*[2] *res, in quibus peccata non maxumas afferunt noxias, tamen inscii non attingunt*

ita enim recte Mercerius postrema, quae in libris corrupta sunt, emendavit. idem contulit Platonis Alcibiadem priorem, ubi Socrates 'queritur ad vulgarias artes, in quibus offensae periculum lene, non accedere imperitos, ad rem publicam, in qua gerenda periculosissime peccetur, imperitissimum quemque admitti.' poterat conferre, quae apud ipsum Tullium de orat. II 18, 75 sq. disputat Catulus. hoc Hortensii loco non de re publica aut de arte oratoria agi, sed de philosophia, vix est quod moneatur. in 'insciorum' autem numero vereor ne fuerint Epicurei, qui disputare solebant 'nihil opus esse eum, philosophus qui futurus esset, scire litteras'.[3]

[1] Attulit Dielsius *Arch. f. Gesch. d. Philos.* I p. 487 adn. 17.

[2] cf. Madvig. ad Cic. de fin. I 10, 35.

[3] de fin. II 4, 12 cf. Tusc. disp. IV 3, 7. Epicurus frg. 227 Useneri.

Tum hic est ille locus, quo supra pag. 27 significavimus referenda nobis videri frgg. 10/24 (Non. p. 395, 14. 401, 8. schol. Verg. Georg. I 1 ed. Mommsen. Mus. Rhen. XVI 443) et 9/23[1] (Non. p. 521, 18 et *ut—quibusdam* 386, 9)

> *ut enim segetes agricolae subigunt aratris multo ante quam serant . . . ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic litteris talibusque doctrinis ante excoli animos et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari decet.*

nam eo ordine ea interposita particula aliqua in unum componenda sunt, cum excolendi verbum quod est in fragmento 9/23 respiciat ad comparationem institutam in altero. atque illud quidem de simili, quod in eo adhibitum est, cum Platonis Reipublicae IV pag. 429 E apte contulit I. A. C. van Heusde[2]; hoc admonet nos loci Tusc. disp. II 5, 13 quo loco postquam idem argumentum contra philosophiae studium prolatum est quo Hortensium usum esse supra vidimus, quod quidam philosophi turpiter viverent, respondet Tullius sic *nullum vero id quidem argumentum est. nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur . . ., sic animi non omnes culti fructum ferunt. atque, ut in eodem simili verser, ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus, ita est utraque res sine altera debilis. cultura autem animi philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant.*[3] duas sententias hoc loco pronuntiat Cicero eodem usus simili, quarum altera animos non omnes cultos fructum ferre contendit, altera sine doctrina animum fructuosum esse non posse. illa respondetur philosophiae criminationi; hac ne temere illo argumento utamur cavetur. et

[1] cf. August. contra Acad. II 3, 8 *filius tuus coepit iam philosophari: ego eum reprimo, ut disciplinis necessariis prius excultus vigentior et firmior insurgat.*

[2] in libro cui index est *M. Tullius Cicero φιλοπλάτων* pag. 253.

[3] Eadem comparatione usi sunt Cicero de orat. II 30, 131 orat. 15, 48 Tacitus dial. cap. 6 extr.

ad hanc prope accedit illa, quae in Hortensio fuit, sententia, hac una re diversa, quod, cum in Tusculanis ipsa philosophia praeparandi quoque munus suscipere dicatur, id munus in Hortensio accuratius 'litteris talibusque doctrinis' tribuitur. sic enim cum codicibus scribendum esse videtur, quamquam oblocuti sunt Usenerus et Luc. Muellerus; e quibus ille pro *talibus* scripsit *liberalibus*, hic et idem proposuit et *aliis*. ad illam coniecturam quod attinet, liberalibus doctrinis etiam litterae ipsae continentur: in libro quidem de oratore III 32, 127 inter 'artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continentur', praeter alias esse significatur 'litterarum cognitio et poetarum' idemque docet Brutus 69, 213 sq. *neminem . . . cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum tam rudem. nullum ille poetam legerat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat* eqs. itaque certe minus eleganter litteris adduntur liberales doctrinae. Muelleri autem *aliis* probarem, si omnino, cur tandem coniectura opus esset, intellegerem. nam si *his et talibus rationibus* scribere potuit Cicero Tusc. disp. I 29, 71, si *his ac talibus animi permotionibus* de orat. II 44, 185, cur non potuit *litteris talibusque doctrinis?* id enim est 'litteris aliisque doctrinis quae illis affines sunt' (velut geometria musica arte dicendi). eis accedere dicti sunt debere boni mores, qui et modestiores et ad capienda praecepta (scil. philosophiae) molliores pueros redderent; sic enim probabiliter Usenerus supplevit frg. 41/51 (Non. p. 254, 7)

> *deinde boni mores et modestiores et ad capienda praecepta molliores . . .*

Finis huius orationis qui fuerit, intellegitur ex Lactantio divin. instit. III 16, 11 *ille* (scil. Hortensius) *cum philosophiam tolleret nec melius aliquid afferret, sapientiam tollere putabatur eoque facilius de sententia pulsus est, quia constat hominem non ad stultitiam, sed ad sapientiam nasci.* cum philosophia non tollitur sapientia nisi philosophia studium sapientiae est. atque eam definitionem a nominis significatione ductam et locum illum communem, quo ad sapientiam, non ad stultitiam nasci dicebatur

homo, adhibitos esse a Cicerone testatur Boethius different. top. tom. II pag. 1187 sq. Mign.[1]

> *ut si quaeratur, utrum philosophiae studendum sit, erit argumentatio talis: philosophia amor sapientiae est, huic studendum nemo dubitat, studendum igitur est philosophiae . . . quo* [argumento] *Tullius etiam in Hortensio in eiusdem philosophiae usus est defensione.*

eandem definitionem fortasse ex Hortensio hausit Augustinus contra Iulian. Pelag. IV 14, 72 *obsecro te non sit honestior philosophia gentilium quam nostra Christiana, quae una est vera philosophia, quandoquidem studium vel amor sapientiae significatur hoc nomine*[2]; statim enim sequitur frg. Hortensii 74/81.

Eo igitur modo tandem videtur Hortensius coactus esse concedere, nihil valere argumenta sua ad philosophiae studium dissuadendum; nam philosophia sublata tolli sapientiam ipsam. qua re cognita vereor ne ipse a Cicerone petierit, ut quid tandem profiteretur philosophia exponeret.

Itaque instituit Cicero continua oratione exponere, cur philosophandum sit. in tali disputatione cum hoc summi momenti sit, ut ab ea sententia proficiscamur, quae nec dubitationibus sit obnoxia et quam efficacissima ad probandam eam sententiam, quam probare velimus, apte hoc disputationis exordium fecit Tullius, ut diceret (frg. 26/36 ap. Augustin. de trin. XIII 4, 7)

> *beati certe omnes esse volumus.*

id enim ipsos Academicos concedere hoc ipso loco videtur affirmavisse, si fides habenda est Augustino contra secundam Iuliani responsionem imperfecti operis VI 26 (tom. X pag. 1566 Mign.)

---

[1] Attulerunt Sigonius fol. 108 r. et Dielsius comment. in hon. Buecheleri et Useneri a. 1873 pag. 66 seq.

[2] cf. Conf. III 4, 8 *apud te* (Deum) *est enim sapientia; amor autem sapientiae nomen Graecum habet philosophiam; quo me accendebant illae litterae* (Hortensius).

> *beati quippe omnes esse volumus, quod ipsi quoque philosophi huius saeculi et Academici de rebus omnibus dubitantes teste patrono suo Tullio coacti sunt confiteri, idque unum esse dixerunt quod disputatione non egeat, quod nemo est qui non expetat.*

in eadem illa sententia omnem philosophiae auctoritatem consistere dixerat Theophrastus[1], nec aliter Varro apud Augustinum de civ. Dei XIX 1 *nulla est homini causa philosophandi nisi ut beatus sit;* ab eadem sententia Socrates proficiscitur in Euthydemo pag. 278 E (nam eum locum aptius cum Hortensii illo fragmento conferimus quam quae Bywaterus[2] attulit ex Aristotele); non aliter denique apud Boethium cons. phil. III pr. 2 v. 2 Peip. sic disserere incipit Philosophia *omnis mortalium cura . . . ad unum beatitudinis finem nititur pervenire.* definit deinde hic beatitudinem ita, ut sit 'status bonorum omnium congregatione perfectus'. in Hortensio minus simplex videtur fuisse definitio. Augustinus enim de beata vita 2, 10 et de trinitate XIII 5, 8 eadem ex Hortensio affert verba (frg. 29/39) hoc loco sic praefatus

> *an forte illud est quod nos ab his angustiis possit eruere, ut, quoniam diximus ibi quosque posuisse beatam vitam quod eos maxime delectavit . . ., nihil dicamus esse beate vivere nisi vivere secundum delectationem suam . . ? . . . sed hoc quoque Cicero cum sibi ex adverso proposuisset, ita redarguit, ut qui hoc sentiunt erubescant. ait enim ecce autem non philosophi quidem sed prompti tamen ad disputandum omnes aiunt esse beatos, qui vivant ut ipsi velint. falsum id quidem; velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum (est), nec tam miserum est non adipisci quod velis quam adipisci velle quod non oporteat; plus enim mali pravitas voluntatis affert quam fortuna cuiquam boni.*

intellegimus sic rem institutam esse, ut variae de beatitudine inter se conferrentur sententiae et philosophorum et mediocrium hominum. ex his igitur fragmento illo breviter refelluntur ii,

---

[1] cf. Cic. de fin. V 29, 86 ibique Madv.

[2] *Journal of philology* II 56. Iamblichus Protrept. p. 24, 22 Pist., quem laudat Bywaterus, et ipse Platonem excerpsit.

qui dicant omnes esse beatos, qui vivant ut ipsi velint. quamquam fortasse paulo uberior fuit is locus, si modo recte ex Hortensio sumptum esse conicimus, quod refert Augustinus de civ. Dei V 26[1], Tullium de quodam qui peccandi licentia felix appellabatur, dixisse

o miserum, cui peccare licebat

(frg. libr. inc. 16/10); quam exclamationem hoc loco optime quadrare facile concedetur. nam ex Tusc. disp. V 19, 55, quem locum cum dubitatione affert Dombartus, petita esse illa non possunt, quia aperte ipsius Ciceronis verba sunt.

Ab illa definitione non longe diversa est ea, quam Albertum Magnum tribus locis ex Hortensio afferre supra diximus[2]. is enim Ethicorum lib. I tract. 5 cap. 2 (tom. IV part. II pag. 34 ed. Iammii) haec scribit

felicem enim dixerunt bene viventem secundum animam et bene operantem secundum potentias; bene autem viventem dixerunt bonum sive felicem. et haec videtur fuisse opinio Tullii dicentis in Hortensio dialogo, quod beatus est, cui omnia optata succedunt.

eadem verba affert ad Aristot. Polit. VII 11a (p. 441 Iamm.), loco tamen, unde sumpta sint, non indicato. idem denique in eodem commentario II 1 p (p. 73 Iamm.) scribit

secundum quod diffinit Tullius felicem sive beatum dicens in Hortensio dialogo felix sive beatus est, cui omnio optata succedunt

significavimus supra, in Lucullo neque illum locum inveniri neque similem; potuisse illum in Hortensio poni nemo, opinor, negabit; demonstratum est, cur ante Alberti aetatem Hortensium penitus putemus periisse, causam idoneam non exstare. cum denique,

[1] cf. Mart. Cap. V 517 p. 475, 11 H. Amm. Marc. XXVI 10, 12. Augustini locum primus attulit Andr. Schottus Nodorum Ciceronis variorumque lib. II cap. 2.

[2] Significavit eos locos Diacus Vitrioli in libello nescio quo, quo de relatam est in commentariis inscriptis *la civiltà cattolica* ser. III vol. VI pag. 355.

etiamsi periisset, tamen in libro aliquo miscellaneo potuerit ille hunc locum invenire, nostro iure uti nobis videmur, cum locum illum in describenda pristina Hortensii forma adhibemus.

Pergit Boethius (III pr. 2 v. 11) *hunc* [statum, quem definivit beatitudinem], *uti diximus, diverso tramite mortales omnes conantur adipisci. est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas, sed ad falsa devius error abducit.* cum his velim conferatur Tusculanarum disputationum libri III prooemium, quod quo modo procedat, paucis indicandum est. *quod si talis* inquit Cicero (1, 2) *nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere eademque optima duce cursum vitae conficere possemus, haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret . . . sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. nunc autem . . . in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur* . . [2, 3] . . *ut nobis optime naturae vim vidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus imperiis populari gloria iudicaverunt* . . [§ 4] . . *quid, qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum lubidine feruntur, quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania* . ., *his nullane adhibenda est curatio?* . . . [3, 6] *est profecto animi medicina, philosophia.*

Exscripsimus illa, quia ad eas sententias fere omnes quae possint referri sunt in Hortensii fragmentis, et quod Ciceronem repetita Hortensii memoria scripsisse illa ea quoque re veri fit simile, quod paulo infra (§ 6) laudat eum dialogum[1]. ut enim Cicero in Tusculanis et Boethius inde profiscuntur, ut omnibus hominibus natura insitam esse dicant verae beatitudinis scientiam quandam et cupiditatem, sed multis erroribus eorum opiniones perverti, ita in Hortensio dictum est (frg. 61/70 ap. Non. p. 289, 18)

[1] cf. Hirzelius *Untersuch. zu Cic. phil. Schriften* vol. III p. 347 adn. 3.

> *habet enim ipsa certam et definitam viam, sed ex ea multis vitiis et erroribus depravata deducitur.*

sic enim ea cum Orellio restituenda videntur, cum pars codicum exhibeant *incertam*, pauci *deinfinitam*, omnes *et* pro *sed.* nos 'ipsam' intellegimus naturam, id quod recte fieri perspicuum est et ex Tusculanarum illo loco et ex his: de leg. I 12, 33. de off. I 33, 120 III 17, 69[1]. 'via' autem est ea, quae ducat ad beate vivendum, ut apud Lucretium VI 27, ubi conferantur quae adnotavit Lachmannus.

Errores illi effici dicti sunt et aliis rebus et more, qui sibi vindicaret gubernacula vitae: nam eo fere modo supplendum videtur frg. 62/71, quod Nonius p 419, 16 sub lemmate hoc affert *vindicat: asciscit, ad se trahit:*

> *deinde imitator, ut sibi quidem videtur, naturae mos vindicat*

de sententia conferatur Tusc. disp. V 27, 79 et, ut intellegatur. qua ratione mos possit sibi videri imitari naturam, de off. I 35, 126 sq.[2] re vera morem minime naturae imitatorem esse facile subauditur ex ipsis verbis, quae cum quadam indignatione pronuntiata esse credas.

Pluribus deinde expositi sunt illi errores, quibus homines non ad verum bonorum finem solerent tendere, sed ad res quasdam speciosas illas quidem, sed easdem imbecillas et fragiles. quibus in rebus in Tusc. disp. III prooemio numerantur honores imperia popularis gloria pecunia voluptates. quae vide quam accurate congruant cum his, quae leguntur apud Boethium phil. cons. III pr. 2 v. 15 sqq. *alii summum bonum esse nihilo indigere credentes ut divitiis affluant elaborant; alii vero bonum quod sit dignissimum veneratione iudicantes adeptis honoribus reverendi civibus suis esse nituntur. sunt qui summum bonum in summa potentia esse constituant: hi vel*

[1] cf. Tac. dial. 28 *sincera et integra et nullis pravitatibus detorta .. natura.*

[2] Similiter fama popularis verae gloriae imitatrix dicitur Tusc. disp. III 2, 4.

regnare ipsi volunt vel regnantibus adhaerere conantur. at quibus optimum quiddam claritas videtur, hi vel belli vel pacis artibus gloriosum nomen propagare festinant. plurimi vero boni fructum gaudio laetitiaque metiuntur: hi felicissimum putant voluptate diffluere. idem ibid. pr. 3 v. 6 incipit quam vana sint illa quibus se homines adepturos beatitudinem putent fusius explicare. eodem modo in Hortensio rem actam esse veri est simillimum.

Quamquam de honoribus et imperiis quo agatur fragmentum non videtur superesse. de gloria autem Boethius cum alia scribit tum haec (III pr. 6 v. 12 sqq.) *cum, uti paulo ante disserui, plures esse gentes necesse sit, ad quas unius fama hominis nequeat pervenire, fit, ut, quem tu aestimas esse gloriosum, proxima parte terrarum videatur inglorius.* remittit igitur legentes ad ea, quae libro II pr. 7 exposuit. ea autem eodem modo disposita esse ac quae leguntur apud Ciceronem de re publ VI 20, 21 sqq. recte cognovit Usenerus[1]. utroque enim loco duabus rationibus gloriae cupiditas impugnatur: et quod habitetur in terra raris et angustis locis, et quod non modo aeternam sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possint homines. eisdem argumentis Tullium in Hortensio usum esse idem ille vir doctissimus coniecit. atque profecto ad argumentum illud ex terrae angustiis petitum spectare apparet frg. 80/87 (Non. p. 274, 5)

> *ne in continentibus quidem terris vestrum nomen dilatari potest.*

sed plura licet affirmare. Boethius enim postquam illa de gloria exiguis angustisque limitibus artata disseruit, sic pergit (II pr. 7 v. 23)

> *adde quod hoc ipsum brevis habitaculi saeptum plures incolunt nationes lingua moribus totius vitae ratione distantes, ad quas tum difficultate itinerum tum loquendi diversitate tum commercii insolentia non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium quidem pervenire queat. aetate denique Marci Tullii,*

[1] Mus. Rhen. XXVIII 394 sqq.

sicut ipse in quodam loco significat, nondum Caucasum montem Romanae reipublicae fama transcenderat — et erat tum adulta, Parthis etiam ceterisque id locorum gentibus formidolosa. videsne igitur, quam sit angusta, quam compressa gloria, quam dilatare ac propagare laboratis?

cum iis primum velim conferatur frg. 27/37 (Non. p. 284, 32)

quantum inter se homines studentes moribus omni vitae ratione differant,

quod enuntiatum pendere videtur a cognoscendi verbo velut *vide* vel *animadverte*. sententia autem eadem fuit, opinor, quam posuit Boethius et eo loco, quem supra exscripsimus, et ibidem v. 35 *quid est quod diversarum gentium mores inter se atque instituta discordant, ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum iudicetur.* Patricius quidem, ni fallor, idem sensit, cum pro illo, quod est in libris Nonii, *studentes* scriberet *dissidentes;* quamquam facilius certe Nobbius coniecit *studiis;* sed vereor ne in illa quoque coniectura aliquid veri insit[1]; nam certum iudicium facere non audeo. sed ut ad Boethium redeamus, quae is affert ex Cicerone, ea Peiperus refert ad haec quae sunt in Somnio (20, 22) *ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum aut cuiusquam nostrum nomen potuit vel Caucasum hunc quem cernis transscendere vel illum Gangem tranare?* verum sic qui statuit, is similitudinis quadam specie decipitur. cum enim Boethius sic argumentari pergat *an ubi Romani nominis transire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur?*, eo, quem ille laudat, loco Ciceronem non de quorundam hominum Romanorum, sed de universae rei publicae fama egisse intellegitur. itaque malim verba illa ex Hortensio desumpta esse statuere[2], atque frustra Hartlichius[3] Boethiana illa ex Hortensio petita esse negavit.

Non tam facile est adversarium illum Useneri redarguere de altera illius, quae fuit de gloria, disputationis particula, quae ver-

---

[1] cf. Halmius act. acad. Monac. a. 1862 vol. II pag. 53.

[2] Idem, si recte intellego, significavit Usenerus Mus. Rhen. XXVIII 402.

[3] l. l. pag. 253.

sabatur in temporum angustiis depingendis. quo ex Hortensio quae referre liceat duo vel tria supersunt fragmenta, 25/35

(Serv. ad Verg. Aen. I 269, cf. ad III 284)

tria sunt genera annorum: aut enim lunaris annus est XXX dierum aut solstitialis XII mensum aut secundum Tullium magnus, qui tenet $\overline{XII}$ *DCCCCLIIII annos, ut in Hortensio: horum annorum, quos in fastis habemus, magnus* $\overline{XII}$ *DCCCCLIII amplectitur.*

(Tac. dial. cap. 16)

si, ut Cicero in Hortensio scribit, is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum exsistet, isque annus horum quos nos vocamus annorum duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor complectitur, incipit Demosthenes vester, quem vos veterem et antiquum fingitis, non solum eodem anno quo nos, sed etiam eodem mense exstitisse.

et 44/54 (Augustin. de civ. Dei III 15)

. . . ut easdem tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli, qui obscuratione solis est factus.

quae fragmenta recte coniunxit Usenerus collatis eis, quibus in libro de re publ. VI Africanus nepotem admonet (22, 24), verum annum non posse appellari nisi eum, qui efficiatur, cum ad idem, unde semel profecta sint, cuncta astra (non unus sol) redierint; eum autem annum tot hominum saecula in se tenere, ut inde ab eo tempore, quo sol deficere visus sit simulque Romulus in caelestium plagas ascenderit, nondum vicesima eius anni pars conversa sit. quocirca quanti tandem esse hominum gloriam, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam possit. haec Africanus; similis apud Boethium ratio est disputandi. itaque sane non temere Usenerus fragmenta illa ad talem locum rettulit. nam ex Tacito dial. 16 ne de Hortensio plura efficiamus quam liceat, recte idem monuit. ille enim contaminavit, ut ita dicam, duo ex Hortensio argumenta, alterum quod continetur fragmento 20/32, alterum de quo agimus hoc loco. sed contra Usenerum dixit Hartlichius duobus usus argumentis. quorum alterum petitum est ex Useneri quodam errore. is enim in calce disputationis suae Iamblichi locum attulit ex Protreptici ea parte, quae ex Aristotele desumpta esse creditur. ubi cap. 8 pag. 47, 16 Pist.

haec leguntur *τιμαὶ δὲ καὶ δόξαι, τὰ ζηλούμενα μᾶλλον τῶν λοιπῶν, ἀδιηγήτου γέμει φλυαρίας· τῷ γὰρ καθορῶντι τῶν ἀιδίων τι ἠλίθιον περὶ ταῦτα σπουδάζειν. τί δ' ἐστὶ μακρὸν ἢ τί πολυχρόνιον τῶν ἀνθρωπίνων; ἀλλὰ διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν, οἶμαι, καὶ βίου βραχύτητα καὶ τοῦτο φαίνεται πολύ*[1]. in eis igitur Usenerus latere arbitratus est duplex illud contra gloriam argumentum, ita ut *μακρὸν* pertineret ad locum, *πολυχρόνιον* ad tempus. quod contra recte Hartlichius dubitavit, num verbo *μακρὸν* argumentum illud apte significaretur. itaque censemus Iamblichum non expressisse nisi argumentum illud, quo aetatis humanae brevitas ostendebatur. de reliqua autem Useneri disputatione — quam ex Iamblichi verbis proficisci mira perversitate dicit Hartlichius — nihil sequitur. — Alterum, quod ille proposuit, argumentum paulo gravius est. Augustinus enim in afferendo fragmento 44/54 his utitur verbis *in Hortensio vero dialogo, cum de solis canonicis defectionibus loqueretur.* quibus verbis potest profecto aliquis eo adigi, ut fuisse credat verba illa posita in aliqua laudatione eorum, qui primi rerum naturae indagatione instituta homines inani metu liberassent. Hartlichius quidem ita censet[2]. at vereor, ne plus tribuat Augustini verbis quam is in eis ipse voluerit inesse. attulit Ciceronis verba propter eam sententiam, quam continent de Romuli morte; quare non plenum attulit enuntiatum, quod ut in quem fere modum intellegendum esset sentiretur, addidit illa de solis defectionibus. at, inquiet ille, de eis hoc quidem loco non actum est. cur non? an, ut exemplo utar, potuit Tullius alteri illi argumento in Somnio

[1] Eodem loco usus, qua ratione videretur pendere ex Cicerone Tacitus, ostendit A. Gudemanus in commentatione quae inserta est Actis societatis philologae Americanae (vol. XXII) — cuius commentationis plagulas auctor benigne ad me transmisit —, collatis illis *τί δ' ἐστὶ . . . . πολύ* cum Taciteis his (dial. 16) *quod spatium temporis si ad infirmitatem corporum nostrorum referas, fortasse longum videatur;* poterat etiam quae antecedunt apud Iamblichum referre ad Taciti verba haec *si ad naturam saeculorum et respectum immensi huius aevi* [referas], *perquam breve et in proximo est.* nam quod Usenerus coniecit *siderum* pro *saeculorum*, id nobis minime probatur.

[2] l l. pag. 299.

praemittere terrae descriptionem (20, 21), huic argumento quidquam de solis defectionibus addere non potuit? itaque nos etiam nunc facimus cum Usenero. sed priusquam pergamus, hoc liceat monere. cur in fragmento 44/54 aut verbo *qui* crux praefigatur aut illud *factus* temptetur, minime nos intellegere. nam quod hodie videntur desiderare (quod olim edebatur) *in obscuratione*, ea praepositio hoc loco eodem iure deest ac de republ. I 16, 25 *quibus quidem tenebris;* pro *factus* autem quae coniecerunt, velut *abreptus*[1] vel *sublimis factus*,[2] ea corruunt, si conferuntur Augustini verba quae insequuntur *certe hic minime timuit hominis interitum dicere, quia disputator magis quam laudator fuit;* nam si fuisset verbum quale illi desiderant, alia res fuisset. itaque illud *factus*, quod ad interitum respicit, servandum censemus.

Hoc addimus, quae Servius ad Verg. Aen. IX 252 adnotat *Ciceronis est, tractum de philosophis, qui dicunt sufficere ad gloriam bene facti conscientiam*, ea utrum ad Hortensii aliquem locum spectent — a quo dialogo certe non aliena est illa sententia —, an ad Philippicae II 44, 114, id quod statuit Lion, an denique ad Tusc. disp. III 2, 3, id quod nobis videtur probabilius, cum non ipsa Ciceronis verba afferantur, incertum esse. Gudemani[3] vero rationi, qua cum Servianis illis contulit dialogi Tacitei cap. 11 extr., summo opere diffidimus. cuius dubitationis rationem intelleget si quis Tacitum ipsum evolverit.

De divitiis in Hortensio actum esse apparet ex Augustini Soliloquiorum I 10, 17[4]

> *nam cum triginta tres annos agam, quattuordecim fere anni sunt ex quo ista* [divitias] *cupere destiti nec aliud quidquam in his, si quo casu offerrentur, praeter necessarium victum liberalemque usum cogitavi. prorsus unus mihi*[5] *Ciceronis liber*

[1] Orellius.

[2] Maehlius annal. gymn. Austr. XXI 824.

[3] cf. pag. 64 adn. 1.

[4] Attulit Dielsius *Archiv für Gesch. d. Philos.* I 479.

[5] Sic codd. Valentianensis 253 Augiensis CCXXXVI Trevericus 149: *mihi unus* Augiensis CXCV.

facillime persuasit, nullo modo appetendas esse divitias, sed si provenerint, sapientissime atque cautissime administrandas.

quo quod addenda adnotat Hartlichius[1] quae leguntur apud Augustinum contra Acad. I 1, 2, ea cur ex Hortensio desumpta esse putentur non video.

In hac parte Cicero, ut solebat, exemplis usus est e Romana memoria petitis, ut C. Sergii Oratae, qui vixit circa medium saeculum VII[2]. is enim 'omnium luxuriosorum magister'[3]

primus balneola[4] *suspendit, inclusit pisces*

(frg. 69/76, Non. p. 194, 13), ut item tradit Plinius nat. hist. IX 54, 168. ex Hortensio sine dubio quae de illo homine proferunt hauserunt Valerius Maximus IX 1, 1 et Augustinus de beata vita 4, 26.

hic sic scribit *sed fingamus aliquem talem qualem fuisse Tullius dicit Oratam. quis enim facile dicat Oratam egestate laborasse, hominem ditissimum amoenissimum deliciosissimum, cui neque ad voluptatem quidquam defuit neque ad gratiam neque ad bonam integramque valetudinem. nam et praediis quaestuosissimis et amicis iucundissimis quantum libuit abundavit et illis omnibus aptissime ad salutem corporis usus est, eiusque, ut breviter totum explicem, omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est.*

quibuscum conferas ex Hortensio haec

frg. 70/77 (Prisc. inst. gramm. X 2, 13 p. 506, 2 Hertz.)

et amoenitate summa perfructus est

frg. 72/79 (Non. p. 401, 30)

vixit ad summam senectutem optuma valetudine.

extremis Augustini verbis alludi videtur ad beatitudinis illam definitionem, quam supra pg. 58 attulimus ex Alberto Magno.

---

1 l. l. pag. 299 adn. 1.

2 Defensus est a L. Crasso, qui mortuus est a. 669: de orat. I 39, 178 de off. III 16, 67.

3 de fin. II 22, 70.

4 *Balneolas* probabiliter a nescio quibus doctis propositum esse dicit L. Muellerus.

quod autem Valerium contendimus Hortensio usum esse, eius quoque sententiae documentum afferimus. narrat enim ille, Oratam propter aquam publicam aedificiorum molibus nimis coactam in iudicium vocatum a L. Crasso dictum esse, si remotus esset a lacu, non cariturum ostreis, 'namque ea, si inde petere non licuisset, in tegulis reperturum'. ad id dictum probabiliter refertur frg. 71/78 (Non. p. 216, 12)

sollertiamque eam posset vel in tegulis proseminare ostreas.

ubi cum viri docti sive *qua* sive *quae* inseruerint post *eam*, facilius sic sanam effici putamus orationem, si pro *posset* ponatur *posse.*[1]

Porro ad hunc quo de divitiis actum est locum apparet referendum esse frg. 85/92 (Non. p. 411, 27)

eundem [intellege fructum] *non ⟨modo⟩ mediocri pecunia, sed etiam tenui percipere possumus.*

quocum conferantur, quae leguntur apud scholiastam Cruquianum ad Horatii satirarum II 6, 79 pag. 484 et quae vereor ne ex Hortensio desumpta sint

divitiae non faciunt beatitudinem, sed animus parvo contentus, quae virtus dicitur αὐτάρκεια; quae quoniam Latine uno verbo dici non potest, αὐτάρκεια inquit Cicero est, quae parvo contenta omne id respuit, quod abundat.

atque ea virtus qualis esset, exemplis expositum est, ut Tusc. disp. V cap. 34, quod caput sic terminatur: *adde siccitatem, quae consequitur hanc continentiam in victu, adde integritatem valetudinis . . .: tum intelleges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi, iucunditatemque vitae esse in desiderio, non in satietate.* eadem ratione cum superioribus conexum fuit frg. 65/73 (Non. p. 384, 20)

tum intellegas, quam illud non sit necessarium quod redundat.

---

1 et sic edidisse videmus Nobbium.

Cum illis, quae erant de divitiis, arte coniuncta fuisse ea, quibus actum est de voluptatibus, et consentaneum est et elucet e fragmentis modo allatis. ad eandem quaestionem pertinet frg. 66/74 (Non. p. 22, 21), quod post aliorum conamina Madvigio[1] duce feliciter sic fere supplendum esse statuit L. Muellerus[2]:

⟨si accessit⟩ ad iuvenilem libidinem copia voluptatum, gliscit illa ut ignis oleo.

lubido enim est voluptatum appetitus (de sen. 12, 39). eandem quod dicit Cicero de senect. 11, 36 magis esse adulescentium quam senum, ex ea sententia vereor ne quid luminis accedat fragmento 73/80 (Non. p. 321, 15)

voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta adferunt senibus

quamquam speciose sane L. Muellerus pro *senibus* scribi iussit *sensibus*. sed si quis legerit illa ex Catone quae attulimus et quae ibidem scripta inveniuntur §§ 39—49, orietur, opinor, ea suspicio, ut fragmento illo putetur contendi, senectuti eo minus convenire voluptatum usum, quod eas non desideret ea aetas. neque igitur quidquam mutaverim.

Quoniam de voluptatibus agimus, liceat afferre frg. 84/91 (Non. p. 313, 20)

ponendae sunt fides et tibiae

de quo quamquam nihil licet certo statuere, tamen quo loco collocandum sit nisi hoc nescio. Halmius[3] contulit narratiunculam a Valerio Maximo VI 9 ext. 1 traditam: Polemonem adulescentem ex antelucano convivio domum redeuntem, cum Xenocratis patentem ianuam vidisset, intrasse temulentum lasciviisque coepisse turbare illius scholam; philosophum autem omissis de quibus disserebat de modestia ac temperantia loqui coepisse. cuius sermonis gravitate coactum Polemonem primum coronam capite detractam proiecisse, paulo post brachium intra pallium

[1] Adversar. crit. II 245.
[2] Append. Nonii pag. 419.
[3] Act. acad. Monac. a. 1862 vol. II pag. 38.

reduxisse, deinde oris hilaritatem deposuisse. ad ultimum totam luxuriam exuisse et ex infami ganeone maximum philosophum evasisse. ea igitur narratiuncula si recte confertur, fragmento illo hortari videtur Cicero, ut voluptatibus uti desinant homines; nam quod Augustinus c. Iul. Pelag. I 4, 12 sic agit cum Iuliano *si scholam Xenocratis sicut Polemo . . . intrasses, non tanta quanta in isto coetu tot sanctorum deberes verecundia coerceri*, inde de Hortensio nihil licet efficere. verum omnino dubium est, num recte Valerii locus cum hoc fragmento conferatur. atque velim animadvertantur quae scribit Augustinus de lib. arbitr. II 13, 35 *quid enim petis amplius quam ut beatus sis? . . . multi beatam vitam in cantu vocum et nervorum et tibiarum sibi constituunt, et cum ea sibi desunt, se miseros iudicant* . . . ei loco quid commune sit cum Ciceronis in Hortensio orationis argumento, apertum est, ita ut sic fere conformata esse potuerit sententia illa: multi beatam vitam in fidium et tibiarum cantu sibi constituunt — sed fieri potest ut 'ponendae sint fides et tibiae' — ubi tum erit ista beatitudo? ponendi enim verbum eodem modo positum esse arbitramur quo apud Cic. de or. III 12, 46 et Horat. ep. I 1, 10.

Ea, quam modo proposuimus, coniectura reducimur ad disputationem de divitiis institutam. quas ita impugnatas esse vidimus, ut parvo contentam esse naturam hominis demonstraretur nec voluptates desiderare; immo his deformari corpus, mentem debilitari. verum poterat aliquis contra dicere, divitias, etsi non necessariae essent, tamen propter iucunditatem appetendas esse; voluptatum autem nimium usum non necessario coniunctum esse cum divitiarum possessione. proferendum igitur erat aliud argumentum, quo probaretur 'nullo modo appetendas esse divitias'. atque id argumentum servavisse videtur Augustinus duobus locis. quorum alter invenitur de beata vita 2, 11. ubi postquam Augustinus id, cuius beneficio homo beatus fiat, semper manens, nec ex fortuna pendulum nec ullis subiectum esse casibus debere affirmavit, Trygetius *sunt* inquit *multi fortunati, qui eas ipsas res fragiles casibusque subiectas, tamen iucundas pro hac vita cumulate largeque possideant, nec quidquam illis eorum quae*

volunt desit. quem Augustinus quaerendo eo adigit, ut cognoscat, qui timeat, eum non esse beatum; amitti autem posse illa fortuita; ea igitur qui amet et possideat, eum nullo modo posse beatum esse. alter locus est eiusdem libri 4, 26. Oratae enim illius exemplo allato quaeritur, num is eguerit. *etiamsi concedam* inquit Licentius *nihil eum desiderasse . . ., metuebat tamen — erat enim vir, ut dicitur, ingenii non mali — ne illa omnia sibi vel uno adverso impetu raperentur. non enim magnum erat intellegere, talia cuncta, quantacumque essent, esse sub casibus constituta.* similem igitur in Hortensio putamus fuisse sententiarum nexum, ita ut cum divitiis coniunctus dictus sit metus. sed de reliquis quoque animi perturbationibus dictum est, plane ut Tusc. disp. III 2, 4, quem locum ad Hortensii similitudinem compositum esse supra diximus. atque ea pars uberior videtur fuisse; significatur enim verbis Augustini c. Iul. Pelag. IV 15, 78 his *cum multa, quae videmus et gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset* eqs. tamen pauca ex ea particula supersunt, in quibus frg. 76/83 (Non. p. 498, 30)

> *et qui exspectat, pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est*

ubi quod pro *exspectat* L. Muellerus coniecit *sperat*, ea coniectura habet sane quo videatur suaderi, nec minus, quod nos olim coniciebamus sic fragmentum supplendum esse ⟨*et qui metuit*⟩ *et qui expetit, pendet animi* eqs. (cf. Tusc. disp. IV 17. 37 Sen. epist. I 5, 7). verum nunc, cum nec in sententia nec in oratione quidquam insit quo possimus offendi, satius ducimus nihil mutare; similiter enim exspectando pendere animis dicimur Tusc. disp. I 40, 96. orationem autem sic processisse putamus, ut cum ante eos, qui sperarent aut timerent, animis pendere dictum esset, iam amplificaretur sententia et vel solo exspectando perturbari quodam modo animum contenderetur.

In eadem disputatione videtur fuisse frg. 56/65 (Priscian. gramm. instit. VI 12, 66 p. 250, 12 Hertzii)

> *ut ait Ennius 'refugiat timido sanguen atque exalbescat metu'*

quem eundem versum ex Ennii Alcumaeone laudat de fin. V 11, 31 de orat. III 58, 218, atque hoc quidem loco una cum quattuor versibus antecedentibus, unde elucet intellegendum esse illum versum de mortis metu. de quo cum etiam Finium illo loco agatur, licet conicere in Hortensio quoque ostendisse Ciceronem, quantae miseriae soleant in humana vita exsistere propter corporis fragilitatem.

Multa igitur Cicero de humanae vitae erroribus et aerumnis cum dixisset, repetiit sententiam illam, quam Plato Cratyli p. 400 C ab Orpheo eiusque disciplina profectam esse ait, et quam ipse Tullius teste Lactantio div. inst. III 18, 18 in principio Consolationis posuerat: luendorum scelerum causa natos esse homines eorumque animos cum corporibus crudelitate prorsus Etrusca copulatos: frg. 88/95 (August. c. Iul. haer. Pel. def. IV 15, 78)

> *quanto te melius veritatique vicinius de hominum generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hortensii dialogi velut ipsa rerum evidentia ductus compulsusque commemorat. nam cum multa, quae videmus et gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset, ex quibus humanae inquit vitae erroribus et aerumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio atque eos, qui quondam, cum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quam aptissime, colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos ut vivos cum mortuis esse coniunctos.*

ubi nolimus cum Bernaysio pro *aptissime* scribere *artissime;* tuetur enim vulgatam lectionem Valerius Maximus, qui IX 2 ext. 10 narratiunculam illam ex Hortensio excerpsit sic *ac ne Etrusci quidem parum feroces in poena excogitanda, qui*

vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligata atque constricta, ita ut singulae membrorum partes singulis essent accommodatae, tabescere simul patiebantur, amari vitae pariter ac mortis tortores. e quibus prima verba et extrema Valerii sunt, reliqua e Cicerone expressa. nisi quod pro Ciceronis adverbio quod est *aptissime* totum enuntiatum positum est hoc *ita ut singulae membrorum partes singulis essent accommodatae*[1], quae verba ad illud *artissime* non satis quadrant: aptum autem est quod ad aliquam rem accommodatum est, velut calcei dicuntur apti ad pedem apud Cic. de orat. I 54, 231. itaque recte in Hortensio sic distinguendum esse censuit Haeberlinus[2] ut nos distinximus.

Iam, postquam animi aegrotationes animo propositae sunt, quaesitum est ut Tusc. disp. III 2, 4, num nulla talibus miseriis adhiberi posset curatio; nam perniciosores pluresque animi morbos esse quam corporis satis apparuerat. responsum est idem quod illo loco: 'est profecto animi medicina, philosophia'. hoc loco commemorentur quae dicit Seneca epist. II 5 (17), 2 de philosophia agens

> *necdum scis, quantum ubique nos adiuvet, quem ad modum et in maximis, ut Ciceronis utar verbo, opituletur et in minima descendat.*

(frg. 91/98). ubi Lipsius adnotavit, fortasse significari Hortensium. quaeritur autem, utrum Seneca solum opitulandi verbum a Cicerone sumpserit — id quod statuere videtur C. F. W. Muellerus — an totam sententiam, ut credebant editores reliqui cum Schneidero[3]. nos media nobis videmur ire tutissimi. hoc enim recte intellexisse putamus Muellerum, vix potuisse Senecam 'verbum' ponere pro 'verbis' vel 'sententia', quae verbi significatio non invenitur nisi apud comicos. neque tamen possumus credere,

---

1 Verg. Aen. VIII 486 *componens manibusque manus atque oribus ora.* Iambl. Protr. 8 p. 48, 6 P. *ἀντιπροσώπους ἕκαστον πρὸς ἕκαστον μέρος προσαρμόττοντας.* ceterum Hortensii locum laudat Servius ad Verg. Aen. VIII 479 et 485.

2 *Wochenschrift f. klass. Philol.* a. 1890 p. 517.

3 Progr. gymn. Tremesn. a. 1841 pag. 16.

nihil illum ex Cicerone desumpsisse nisi opitulandi verbum; nam si id verbum ei non erat familiare, cur non usus est alio? itaque ut eo verbo uteretur, ea re eum adductum esse putamus, quod totam sententiam petiit e Cicerone; qua in sententia cum esset opitulandi verbum ab ipsius genere dicendi alienum, id Ciceronis esse adnotavit. de reliqua sententia tacuit.

Philosophiae igitur studendum est et, cum malorum illorum origo repetenda sit ab opinionum pravitate, qua infecti sumus a multitudine ad omnia vitia consentiente, hoc pro sua cuique parte agendum,

> *ut ea sibi ratio vera restituat, quae consuetudo vitiosa detraxerat*

(frg. 59/68 ap. Non. p. 288, 8). nam sic potuisse illud fragmentum cum antecedentlbus cohaerere non est quod dubitetur, ita ut cur aut cum Luc. Muellero illud *sibi* deleamus, aut cum Aldo scribamus *detraxerit*, minime intellegamus.

Eandem sententiam comparatione quadam illustravit Cicero simili ei, quam ab Africano adhibitam esse Panaetius docet de off. I 26, 90 *ut equos propter crebras contentiones proeliorum ferocitate exsultantes domitoribus tradere soleant, ut iis facilioribus possint uti, sic homines secundis rebus effrenatos sibique praefidentes tamquam in gyrum r a t i o n i s et doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum imbecillitatem varietatemque fortunae.* ad eam enim comparationem spectant Hortensii frgg. 63/72 (Non. p. 300 sq.)

> *imbecillis autem est pudoris magister timor, qui si quando paululum aberravit, statim spe impunitatis exsultat . . .*

et 78/85 (Non. p. 105, 7)

> *ut igitur domitores equorum non verbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam saepe subtrahunt, ⟨ut⟩ fame debilitetur eculeorum nimis effrenata vis, . . .*

e quibus de illo adnotandum, exsultare dici animum vel libidinem. poenae igitur non satis valent ad coercendos homines; vera vivendi magistra est philosophia, quae eo adigit homines,

ut oderint peccare amore virtutis. virtutes enim laudatas esse ostendunt frgg. 58/67 (Non. p. 201 sq.)

> *magnitudo animi, patientia laborum, mortis dolorumque contemptio*

et 55/64 (Non. p. 399, 24)

> *an cum videat me et meos comites, fortitudinem magnitudinem animi patientiam constantiam gravitatem fidem, ipsa se subducat?*

atque illo quidem enumerantur genera fortitudinis[1]; in hoc loquentem fingi iustitiam, *ipsa* autem pronomine significari vitam beatam elucet collato Tusc. disp. V 28, 80 *dabit, inquam, se in tormenta vita beata nec iustitiam, temperantiam in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta, cum tortoris os viderit, consistet virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis resistet extra fores, ut ante dixi, limenque carceris. quid enim ea foedius, quid deformius sola relicta, ⟨a⟩ comitatu pulcherrimo segregata? quod tamen fieri nullo pacto potest; nec enim virtutes sine beata vita cohaerere possunt nec illa sine virtutibus.*[2] eo loco quod virtutum dicitur esse comitatus, ut de fin. II 34, 111 Tusc. disp. II 13, 32, *concilium* de fin. II 4, 12, *chorus* de off. III 33, 116, eadem imago vide quam egregie adhibita sit in Hortensio, ubi ipsa iustitia cum sororum pompa animo proposita est. simul velim animadvertatur, respicere Tullium argumentando et laudando ad id, quod caput fecerat huius orationis, beatos esse omnes velle. sed illa *προσωποποιία* vereor ne latius patuerit, si modo recte frg. 60/69 sic exhibent codices Nonii (p. 288, 22)

> *consolabitur eam magnitudo animi et humanarum opinionum alta quaedam despectio.*

solatium enim dici potuit afferri vitae beatae eo tempore, quo intrandum esset in carcerem. quamquam licet certe dubitare, num fragmentum illud recte traditum sit, et fortasse cum viris

[1] de re publ. V 7, 9 Tusc. disp. II 13, 32.
[2] Tusc. disp. V 5, 13.

quibusdam doctis scribendum est *eum;* sed vel sic non longe diversa probari potest interpretatio, ut scilicet verba fiant de sapiente. tamen — id quod non mirum — licet alium quoque ei fragmento assignare locum, quem infra indicabimus.

Virtutibus, quamvis eae laudibus sublatae sint, tamen summam contineri beatitudinem negatum est, ea ratione, ut id maxime dignum diceretur hominum studiis, quod non postularetur misera huius vitae condicione, sed animo libero atque corporis vinculis soluto conveniret; virtutes autem ex illo genere esse ita demonstratum est, ut fingeretur vita quaedam nullis erroribus vitiisque implicata, qualis degeretur, si in beatorum insulis immortali aevo liceret uti: id enim argumentum est fragmenti 40/50 (Augustin. de trin. XIV 9, 12)

> *si nobis, cum ex hac vita emigraverimus*[1], *in beatorum insulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum iudicia nulla fierent, aut ipsis etiam virtutibus? nec enim fortitudine egeremus nullo proposito aut labore aut periculo, nec iustitia, cum esset nihil quod appeteretur alieni, nec temperantia, quae regeret eas quae nullae essent libidines; ne prudentia quidem egeremus nullo delectu proposito bonorum et malorum. una igitur essemus beati cognitione naturae et scientia. qua sola etiam deorum est vita*[2] *laudanda. ex quo intellegi potest cetera necessitatis esse, unum hoc voluntatis.*

quo cum fragmento conferas quae leguntur de re publ. I 17, 27 de fin. V 4, 11. 19, 53, denique quae exposuit Bernaysius de dialogis Aristoteleis pag. 120 sq.

Naturae illa cognitio et scientia quanta gaudia praeberet sapienti et quanta praesidia, uberius videtur expositum esse; quod quo fere modo factum sit, animo licet informare inspecto Tusc. disp. V 24, 68 sq. vel de re publ. I 17, 26 sqq. ubi quae le-

[1] *migrassemus* Halmius ex codice Monacensi.
[2] Hadoardus (cf. supra p. 12), cum pro deorum vita poneret divinam, disciplinae Christianae consulebat; cf. Schwenkius Philol. Suppl. V 441.

guntur § 28 *quod autem imperium, qui magistratus, quod regnum potest esse praestantius quam despicientem omnia humana et inferiora sapientia ducentem nihil umquam nisi sempiternum et divinum animo volutare*, ad ea proxime accessisse videtur ea sententia, cuius est frg. 43/53 (Non. p 402, 15)

> *caeli signorum admirabilem ordinem insatiabilemque pulchritudinem magis spectat . . .*

ita ut eo fragmento non de astrologis actum sit, ut visum est L. Muellero, sed de quovis homine vere philosopho, qui, ut dicit Africanus de re publ. VI 19, 20, 'caelestia semper spectet, humana contemnat'[1]. sic enim fere supplendum esse censeo enuntiatum . . . *magis spectat ⟨quam rerum humanarum errores⟩*. nam in verbis *magis spectat* cur haesitaverit L. Muellerus, nos fugit. ne in ea quidem re possumus aut eidem aut Quicherato assentiri, quod insatiabilem pulchritudinem recte dici negaverunt, qua opinione seducti ille haec effecit *admirabilem ordinem insatiabil⟨is incredibil⟩emque pulchritudinem magis spectat*, hic aut *insatiabilis* aut *insatiabiles . . . spectant* scribendum proposuit, *que* particulam silentio opprimens. verum ut taceam de eis, quae in oratione a Muellero constituta minus placent, non verum est, quod illi opinati sunt, insatiabilem non posse dici nisi eum qui satiari nequeat. licet ea sit primaria significatio, tamen quodnam gaudium est insatiabile (Tusc. disp. V 25, 70) nisi id, quo quis satiari nequeat? an quid aliud significat adiectivum illud de nat. deor. II 62, 155 *iam vero circumitus solis et lunae reliquorumque siderum . . . spectaculum homini praebent; nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior et ad rationem sollertiamque praestantior*. itaque vocabulum illud non solum passiva, sed etiam activa significatione poni licebat. atque — ne prorsus singularia videamur statuisse — eadem ratio valet in voce *penetrabilis;* penetrabile enim et corpus dicitur (Ov. Met. XII 166) et telum (Verg. Aen. X 481). itaque nihil mutandum. denique ad hunc locum si quis maluerit referre fragmentum illud 60/69, de quo egimus pag. 74, non refragabimur.

---

[1] cf. de fin. V 20, 57. de leg. I 23, 61.

Sed uberiora de extrema dialogi parte efficere licet ex peroratione, quam servavit Augustinus (frg. 90/97). actum enim est de animorum natura: atque haec instituta est partitio, ut aut interire animum cum corpore poneretur aut aeternum ac divinum esse utraque condicione esse philosophandum: si mortalis esset animus, ut intellegeretur nihil in morte esse mali, cum mortuo deesset sensus; sin immortalis, quo facilior ei fieret in caelum reditus. esse enim verum animorum cursum rationem et investigandi cupiditatem; naturam autem quidquid genuisset, in suo quidque genere perfectum esse voluisse (Tusc. disp. V 13, 37): itaque e natura esse hominis philosophari. intellegitur redire sermonem ad eam sententiam, quam supra posuimus, ut vivendum esse diceretur convenienter naturae. sed ut unius animi habenda esset ratio, oportebat iudicari corpus esse appendicem animi — frg. 89/96 (Non. p. 42, 8)

> *vidit enim, quod videndum fuit, adpendicem animi esse corpus, nihilque esse in eo magnum*

— quae sententia repetita est a Platone vel Socrate; itaque omnem curam ponendam esse in animo, nec voluptates expetendas corporis, quas vere idem Plato iudicavisset μέγιστον κακοῦ δέλεαρ (Timaei p. 69 D): frg. 74/81 (August. c. Iul. haer. Pel. def. IV 14, 72)

> *an vero voluptates corporis expetendae, quae vere et graviter a Platone dictae sunt illecebrae esse atque escae malorum;*[1] *quae*[2] *enim confectio est valetudinis, quae deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? cuius*[3] *motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiae. congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. quis enim cum utatur voluptate ea qua nulla possit maior esse, attendere animo,*

---

[1] August l. l. V 8, 33 (philosophi) *voluptates illecebras atque escas malorum, et vitiosam animi partem dixerunt esse libidinem.*

[2] Non. p. 269, 21 *quae est enim conf. valet., quae def. corporis?*

[3] *cuius . . . quidquam potest* laudat Augustinus l. l. V 10, 42.

inire rationem, cogitare omnino quidquam potest? quis autem tantus est gurges, qui dies et noctes sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? quis autem bona mente praeditus non mallet nullas omnino nobis a natura voluptates datas?

quamquam possit aliquis conicere id fragmentum superiore illo loco esse collocandum, ubi de voluptatibus et libidine actum esse exposuimus. verum cum hoc Tullius utatur argumento, ut congruere cum cogitatione magnam voluptatem corporis posse neget, in cogitatione mentisque acie positam esse hominis perfectionem necesse est ante dictum sit; atque fragmento illo non tam de eorum vanitate agi, qui in voluptatibus ponant beatitudinem, quam de animi praestantia et natura. significant ea verba, quibus in afferendis illis utitur Augustinus *vide quid iste pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat.* itaque fragmentum illud non procul a fine dialogi positum fuisse arbitror. Socrates quidem in Phaedone p. 64 D simillimum in modum ratiocinatur: nihil hominem philosophum tribuere corporis voluptatibus, sed maxime cupere animum disiungi a corpore. quem locum si recte comparavimus, aliquid adiumenti accedit ei coniecturae, qua Baiterus cum aliis viris doctis[1] ad Hortensium (frg. 93) rettulit vocem

morturiunt

quam ex Cicerone affert Augustinus de grammatica vol. V p. 516, 15 Keilii. apertum enim est eam esse interpretationem atque quodam modo effigiem vocabuli Graeci θανατῶσι, quod de philosophis positum est Phaedonis p. 64 B.[2] quamquam certe monendum est, fuisse etiam in Consolatione talem locum[3], qualem Hortensio tribuimus, ita ut certi quidquam de vocabulo illo affirmari nequeat.

---

[1] Schneidero progr. Tremesn. a. 1841 Heusdio Cic. φιλοπλ. p. 254. Dielsio *Archiv f. Gesch. d. Philos.* I 479.

[2] cf. Tusc. disp. I 31, 75.

[3] cf. Bureschius Stud. Lips. IX 104.

Finem autem orationis teste Augustino de trin. XIV 19, 26 fecit frg. illud 90/97, in quo proceditur ratione vere Academica vel potius Socratica. ut enim Socrates in Apologiae extremis partibus (pag. 40 C sqq.), quem locum Latine convertit Cicero Tusc. disp. I cap. 41, certam de eo statu, quo homines post mortem futuri sint, sententiam non profert, ita Cicero leviter tantum, utram ex sententiis illis probandam putet, indicat[1]; et ut ille, si morte in alium quendam locum migretur, beatissimam ibi fore vitam iudicat, ita Cicero illam domum haud paulo meliorem fore dicit quam humanam vitam:

quae nobis dies noctesque considerantibus acuentibusque intellegentiam, quae est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus magna spes est, aut, si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore — aut, si, ut antiquis philosophis iisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem ascensum et reditum in caelum fore. quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut[2] exstingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si[2] ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est.

Sic igitur terminatur illa oratio, cuius seriem paucis liceat complecti. beati esse omnes volumus; sed et quid sit beatitudo et qua via ad eam perveniatur, magna est dissensio. ea autem

---

[1] Claudius Taurinensis, qui hunc locum ex Augustino excerpsit, ut placitum Christianum tueretur, prius diiunctionis membrum omisit, simul pro altera *aut* posuit *et* (nam Muellerus non accurate rettulit).

[2] cf. Madv. ad Cic. de fin. II 5, 15. Reid. ad Acad. pr. II 4, 12.

quae vulgo appeti solent, minime beatitudinem afferunt: nam qui in divitiis aut in gloria positam esse ducit beatam vitam, is necesse est cupiditate vexetur, qui in voluptatibus, libidine distrahatur; ad quas animi perturbationes accedit mortis metus et fortunae adversae: unde fit, ut vita humana plena sit miseriarum. earum medicina est philosophia, quae et virtutum disciplinas procreavit et eam attulit scientiam, ut intellegeretur nihil in corpore esse magnum: unde non solum summa in vivendo exsistit delectatio sed mortis etiam tollitur metus, denique exitus vitae efficitur tranquillus et post mortem, si quid supererit ex animo, ea beatitudo, ut nil supra.

Is est ille, quem ex Hortensii fragmentis efficiendum esse putavimus, sententiarum nexus: qui sive ab ipso Cicerone inventus est sive a Graeco aliquo philosopho, egregie certe compositus est et quam aptissime ad persuadendum. et persuasit quidem Hortensio; is enim restat finis atque exitus totius dialogi, quem fuisse fidem facit Tullius ipse, qui Ac. pr. II 19, 61 sic Lucullum fingit se ipsum admonere

> *tune, cum tantis laudibus philosophiam extuleris Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris, eam philosophiam sequere quae confundit vera cum falsis, spoliat nos iudicio, privat approbatione, omnibus orbat sensibus?*

ea enim verba nos facere non possumus quin de Hortensio dicta esse putemus, neque persuasit nobis Reidius[1] significari eas partes quae Hortensii fuerint in Catulo dialogo. nam si Hortensius in Catulo nihil protulit nisi quaedam de memoria philosophorum decerpta — id quod statuit Reidius —, quonam tandem modo dici potuit commotus esse? ac ne ipse quidam verborum tenor ullam nobis videtur admittere interpretationem nisi eam quam proposuimus.

Idem Luculli locus in alia quaestione nobis opitulatur. apparet enim ex eo, non negavisse Tullium in Hortensio posse quidquam certi percipi neque defendisse eam sententiam nisi in Academicorum libris. atque ita consentaneum erat fieri in eo

[1] Cic. Acad. ed. II introd. pag. 44.

libro, quo ad universam philosophiam contineretur exhortatio; factum esse testis est Augustinus, qui Confessionum III 4, 8 de Hortensio haec scribit

> *hoc tamen solo delectabar in illa exhortatione, quod non illam aut illam sectam, sed ipsam, quaecumque esset, sapientiam ut diligerem et quaererem et assequerer et tenerem atque amplexarer fortiter, excitabar sermone illo et accendebar et ardebam.*

atque illius sententiae quae Hartlichius[1] afferre sibi visus est testimonia tria, ex eis illud, quod est apud Rogerium Baconem, (frg. 92 Bait.) Hortensii non esse pag. 12 diximus. frg. 95/100 non ipsi Ciceronis orationi tribuendum esse sed Hortensii, pag. 40 posuimus; quae sententia iam confirmatur locis ex Lucullo et Augustino modo allatis. Restat frg. 96/101. apud Augustinum enim contra Academicos I 3, 7 Licentius, ut defendat, quod posuit, beatum esse qui veritatem investiget, etiamsi non possit ad eam pervenire, auctorem nominat eius sententiae Ciceronem. '*ubi hoc*' *inquit Trygetius* '*Cicero dixit?*' *et Licentius* '*quis ignorat eum affirmasse vehementer, nihil ab homine percipi posse nihilque remanere sapienti nisi diligentissimam inquisitionem veritatis, propterea quia, si incertis rebus esset assensus, etiamsi fortasse verae forent, liberari ab errore non posset; quae maxima est culpa sapientis. quam ob rem si et sapientem necessario beatum esse credendum est, et veritatis sola inquisitio perfectum sapientiae munus est, quid dubitamus existimare beatam vitam etiam per se, ipsa investigatione veritatis posse contingere?*' placitum illud, quod Licentius affert, non Ciceronis re vera esse, sed Licentii, festive Augustinus ita significavit, ut Licentium faceret ad illam adversarii quaestionem non simpliciter respondentem sed longiore sententiarum nexu. quem recte solvit Hirzelius[2] ita, ut statuat Ciceronis ex sententiis illis nihil esse nisi quod dixerit sapienti diligentissime veritatem investigandam esse (cf. Hort. frg. 90/97) — adde nihil certi posse percipi —; eo assumpsisse Licentium, quod quivis concessurus

[1] l. l. pag. 299 sq.
[2] *Untersuch. zu Cic. phil. Schr.* III 297 adn. 2.

esset, sapientem beatum esse, ut denique inde efficeret, beatitudinem auctore Tullio in sola veri inquisitione positam esse. itaque removendus est ille locus ex numero fragmentorum Hortensii, nisi quis velit haec *nihilque remanere sapienti nisi diligentissimam inquisitionem veritatis* aut ad frg. 40/50 aut ad 90/97 adscribere; nam illud *nihil ab homine percipi posse* ex Academicis sumpsit Licentius. quamquam Hartlichius speciosa quadam de primo Augustini contra Academicos libro opinione deceptus in eo libro conscribendo Augustinum solo Hortensio usum esse videtur arbitrari. vocat enim librum illum 'Augustini protrepticum'. quae sententia nobis non probatur; etenim quamquam Augustinus libris illis ad Romanianum missis eum amicum vult philosophiae conciliare[1], tamen eo tendit disputatio per tres illos libros, ut argumenta contra veri perceptionem ab Academicis prolata refutentur, ut ipse dicit de trinitate XV 12, 21. denique non licet primum illum librum a reliquis seiungere, quippe quibuscum dialogi arte coniunctus atque conexus sit[2].

Restat ut pauca afferamus fragmenta, quibus ne coniectando quidem locum aliquem assignare ausi sumus. itaque hoc loco exhibeantur breviter adnotatis si quae digna videbuntur memoratu.

frg. 1/15 (Non. p. 356, 6) *et paulum agelli occupavisse*

agelli Rothius: aut *angelli* aut *macelli* libri; cf. pag. 15.

frg. 7/21 (Non. p. 297 sq.) *praeter ceteros nostra extulit civitas*

sic libri, nisi quod Parisinus 7667 *p. c. hunc n. e. c.* eum librum Quicheratus optimum dicit, L. Muellerus Nonii vol. II pag. 304 cum aliis nullius pretii. *ceteras* Baiterus.

frg. 24/34 (Non. p. 418, 10) *itaque tunc Democriti manus urgebatur; est enim non magna.*

frg. 53/62 (Non. p. 407, 4) *nihil tamen esse in quo se animus excellens tollere*

inesse quo Luc. Muellerus nescio qua de causa. nam se tollere in aliqua re idem esse videtur ac gloriari in aliqua re vel superbire. sententiam varie supplere conati sunt vv. dd.: *tollere non possit*

---

[1] cf. lib. I prooem. lib. II 2, 3.

[2] cf. contra Acad. II 4, 10.

Mercerius *tollere nequeat* Quicheratus, ille sic explicans *quamvis optima quaeque ingenia non eidem rei nata sint, nihil tamen esse quod si aggrediatur praestans animus in eo non possit excellere.* — *tollat* ed. Nonii princeps *tollere queat* Orellius *tolleret* Luc. Muellerus. fortasse de gloria: eam quamvis speciosam tamen nihil esse in quo se animus excellens tolleret.

frg. 86/93 (Non. p. 428, 2) *qui illud nescio quid, quod in primoribus habent, ut aiunt, labris . . .*

illum codices: emendavit Orellius. varius translationis illius est usus; hoc loco fortasse de philosophis, qui in labris, non in pectore habeant virtutem?

frg. 87/94 (Non. p. 399, 14) *non et sine ea cogitatione ineundis subducendisque rationibus . . .*

non codices: fortasse *nonne.* — *nam* proposuit Luc. Muellerus. idem contulit frg. 50/59.

frg. 97/102 (August c. Iul. haer. Pel. def. IV 15, 76) *sed quis non quid prospexeris cernat? ne scilicet in ipsa de voluptate quaestione . . . honestiores philosophi te obruerent, quos Cicero propter ipsam honestatem tamquam consulares philosophos nuncupavit.*

attulit Halmius act. acad. Monac. a. 1862 vol. II pag. 39. cf. Tusc. disp. I 23, 55 *licet concurrant omnes plebeii philosophi (sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur)* eqs. iidem philosophi Platonici vocari solent 'antiqui'. cf. Hoyerus de Antiocho Ascalonita pag. 2 adn. 2. — Halmius contulit Hort. frg. 90/97. — ex Augustini verbis de loco nihil licet effici; nam in alia sententia idem nomen exstat apud eundem epist. ad Nectarium (II 104, 1, 3) *mortem autem malorum omnium esse finem, habent quidem vestrae litterae, sed nec ipsae omnes; Epicureorum est quippe ista sententia et si qui alii mortalem animam putant. at illi, quos Tullius quasi consulares philosophos appellat, quod eorum magnipendat auctoritatem, quoniam, cum extremum diem fungimur, non exstingui animam sed emigrare censent, et [ut] merita quoque eius asserunt seu bona seu mala vel ad beatitudinem vel ad miseriam pertinere.*

Haec habuimus, quae ad Hortensii fragmenta explicanda et ordinanda afferremus. qua in re consulto ab Aristotelis Iamblichi aliorum comparatione praeter paucos locos, ubi videbatur opus esse illa tangere, abstinuimus, sic censentes, tantam rem non esse nisi amplis contentam spatiis, satiusque ducentes in ea

re nihil afferre quam pauca. sed ne ea quidem, quae attulimus, omnibus partibus proba atque absoluta esse nobis persuasum est. tamen, dum accedat aliquis ad hanc quaestionem vir doctus sagax cautus, denique, ut ita dicam, ingenti litterarum flumine inundatus, non sine omni usu operam et studium in hoc dialogo collocavisse nos putamus. denique — ut perorantem pro nobis faciamus Tullium — nos, qui sequimur probabilia nec ultra quam id quod veri simile occurrit progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.

In calce libelli, quia alibi apte fieri non poterat, monendum est, quos locos attulimus ex Augustini epistulis, libris de civitate Dei, Soliloquiis, Confessionibus, de eorum fide benigne intercedentibus Vahleno et Hartelio liberalissime nos edocuisse vv. cc. Goldbacherum Hoffmannum Holderum Knoellium, futuros eorum librorum editores, quibus hoc quoque loco gratias agimus meritas.

ARGUMENTUM LIBELLI

INDEX FRAGMENTORUM

pag.	numeri Baiteri / Muelleri	pag.
82	1	
24	2	
24	3	
24	4	
26	5	
26	6	
82	7	
34	8	(21)
54	9	
54	10	(10)
27	1	27
29	2	41
29	3	47
29	4	31
43	5	82
36	6	24
36	7	24
35	8	24
41	9	26
43	20	26
44	1	82
47	2	34
—	3	54
82	4	54
63	5	29
56	6	29
62	7	29
46	8	43
57	9	36
47	30	17
45	1	35
50	2	43
48	3	44
45	4	82

pag.	numeri Baiteri / Muelleri	pag.
35	35	63
30	6	56
20	7	62
28	8	46
45	9	57
75	40	47
55	1	45
42	2	50
76	3	48
63	4	45
40	5	35
40	6	30
31	7	20
20	8	28
41	9	45
41	50	75
43	1	55
30	2	42
82	3	76
38	4	63
74	5	40
70	6	40
53	7	20
74	8	41
73	9	41
74. 76	60	43
59	1	30
60	2	82
73	3	38
(65)	4	74
67	5	70
68	6	53
49	7	74
66	8	73

pag.	numeri Baiteri / Muelleri	pag.
66	69	74. 76
66	70	59
67	1	60
66	2	73
68	3	67
77	4	68
49	5	49
70	6	66
53	7	66
73	8	67
22	9	66
61	80	68
25. 35	1	77
28	2	49
46	3	70
68	4	53
67	5	73
83	6	22
83	7	61
71	8	25. 35
77	9	28
79	90	46
72	1	68
[12]	2	67
78	3	83
38	4	83
39	5	71
[81]	6	77
83	7	79
	8	72
	9	38
	100	39
	1	[81]
	2	83
	3	47

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I. Pindari Pyth. 4, 118 sic lego *οὐ ξείναν ἵκω μὰν γαῖαν ἄλλων.*

II. Eiusdem Nem. 7, 85 (*Αἰακὸν*) *ἐμᾷ μὲν πολίαρχον εὐωνύμῳ πάτρᾳ*: *ἐμᾷ* iniuria temptatur.

III. Antiphontis de caede Herodis § 4 sic scribo *ἐγὼ οὖν ὦ ἄνδρες — αἰτήσομαι δὲ οὐχ ἅπερ οἱ πολλοὶ τῶν ἀγωνιζομένων . . αἰτοῦνται . . ., εἰκὸς γὰρ . . καὶ ἄνευ τῆς αἰτήσεως τὴν ἀκρόασιν ὑπάρχειν τοῖς φεύγουσιν, οὗπερ καὶ οἱ διώκοντες ἔτυχον ἄνευ αἰτήσεως — τάδε ⟨δὴ⟩ δέομαι ὑμῶν* eqs.

IV. Ibid. § 62 scribo *ἀλλὰ γὰρ ἐνταῦθα μὲν ἀφῆκεν αὐτὸν, ⟨οὗ⟩ οὐδὲ ἔδει κινδυνεύειν αὐτὸν περί τε αὑτοῦ καὶ περὶ ἐμοῦ, ἐνταῦθα δ' ἐπεβούλευεν, ἐν ᾧ γνωσθεὶς ἂν ἀπεστέρει μὲν ἐμὲ τῆς πατρίδος, ἀπεστέρει δὲ αὑτὸν ἱερῶν* eqs.

V. Luciani Alexandri cap. 3 p. 210 *ἡ ψυχὴ δὲ καὶ ἡ γνώμη . . . πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς ἐντυχεῖν γένοιτο, καὶ μὴ συγγενέσθαι τοιούτῳ τινί* nihil mutandum est aut inserendum.

VI. Ibid. cap. 22 p. 230 verba quae sunt *αἱ κυτμίδες, ἀκόπου τι ὄνομα πεπλασμένον* coniecturis temptanda non sunt.

VII. In Terentii Andriae v. 611 *posthac incolumem sat scio fore me, nunc si devito hoc malum* non delendum est *nunc.*

VIII. Eiusdem Adelphorum v. 191 sq. sic distingue *minis viginti tu illam emisti? — quae res tibi vortat male, argenti tantum dabitur.*

IX. Ibidem v. 660 *eho, nonne haec iusta tibi videntur postea* retineo *postea.*

X. Insiticiorum in Terentii fabulis versiculorum multo pauciora exstant quam hodie fere credunt exempla. velut non possum mihi persuadere a Terentio non scriptos esse versus hos: Andr. 633. Eun. 936. Phorm. 15. 243. Hec. 163. 688. 690.

XI. Apud Ciceronem de orat. III 38, 154 recte scribitur *ille senius;* cf. Terent. Eun. 302.

XII. Ciceronis Acad. pr. II 7, 21 scribo *cetera series deinde sequitur maiora nectens, ut haec, quae quasi expletam rerum comprehensionem amplectuntur si⟨c⟩: homo est animal [est] mortale rationis particeps.*

XIII. Cicero de fin. I 20, 70 scripsit *quod et posse fieri intellegimus et saepe etiam videmus.* (*enim* libri.)

XIV. Cic. Tusc. disp. I 30, 73 lego *qui tam acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent.* (*cum* libri.)

XV. Ibid § 74 haec verba *leges enim vetant* interpolata non sunt.

XVI. Cic. ad fam. II 16, 5 *nam quod rogas, ut respiciam generum meum . . ., an dubitas . . ., quin ea me cura vehementissime sollicitet?* tam recte scribuntur quam ibid. V 15, 2 haec *possumusne igitur esse una? nec mehercule intellego, quid impediat.*

XVII. Ibid. IX 16, 5 haec verba *verum fac esse omnia* sana sunt.

VITA AUCTORIS

Natus sum Carolus Otto Iohannes Plasberg Caroli Alberti f. Sobernhemii a. d. IX. Kal. Nov. a h. s. LXIX, matre Maria Christina Ludovica e gente de Renesse. fidei addictus sum evangelicae. infantem matre orbatum egregia cura educavit pater atque ne muneris quidem officia molestissima excusans litterarum rudimentis maximam partem imbuit ipse. quo magis lugeo eum ante hos duo fere annos praematura morte mihi ereptum.

Vere anni LXXVIII in progymnasium, cui pater praeerat, receptus eius scholae per septem deinceps annos fui alumnus. deinde per duos annos gymnasii Cruciniacensis, quod tum florebat Hollenbergio summo antistite, primi ordinis Kohlio. inde maturus renuntiatus adii academiam Heidelbergensem. ubi per annum me docuerunt vv. cc. Brandt de Duhn Fischer Ihne Osthoff Rohde Uhlig. exercitationibus benigne me admiserunt Brandtius philologicis, F. de Duhn archaelogicis, Zangemeisterus epigraphicis. Proximam aestatem Bonnae commorans praelegentes audivi vv. cc. Buecheler Kamphausen Krafft Mangold Neuhaeuser Usener et proseminarii philologici exercitationibus, quas tunc regebat Usenerus. interfui. inde ab autumno anni LXXXVIII civis fui huius universitatis, in qua me docuerunt vv. cc. Curtius Deussen Diels Dieterici Dillmann Dilthey Doering Harnack Huebner Kirchhoff Lommatzsch Paulsen Roediger Er. Schmidt Ioh. Schmidt Schrader de Treitschke Vahlen Weber Zeller. exercitationibus ut interessem benigne permiserunt philologicis Vahlenus et Huebnerus, epigraphicis Kirchhoffius, philosophicis Paulsenus. praeterea ut per ter sex menses seminarii philologici essem sodalis ordinarius, postremo senior, factum est

Vahleni benevolentia et Kirchhoffii. quibus praeceptoribus egregiis ne evadam indignus, summo opere enitar, itemque ut ne possim ingratus dici aut erga illos aut erga reliquos; nam ex his quoque multi in me multa contulerunt praeter scholas beneficia. quae singillatim laudare longum. hoc vero non arbitror alienum esse ab hoc loco, ut profitear, quantum debeam Guilelmi Studemundi consuetudini quamvis brevi; id quod iis certe mirum non videbitur, qui singularem quae fuit in eo viro humanitatem atque virtutem cognitam habent.

Typis excussit Martinus Oldenbourg Berolinensis